



Salernatanæ
1555









TVENDAE SANITATIS

RATIO PER SEX RErum (vt medici vocant) non naturalium ordinem, ex grauiorum medicorum ſcriptis diligenter congeſta, opus futuro medico perneceſſarium, nunc locupletius & fidelius quam antea editum.

Cum indice rerum copioſiſſimo,

AVTHORE GEORGIO *Pictorio Villingano, apud Regiam curiam Enſishemii ſuperioris Alſatiæ archiatro.*

PARISIIS.

CANDIDO LECTORI Georgius Pictorius Villinganus doctor medicus, S. D.

Gal. therapeut. libro 7.



Vm mihi conscius, verbis Galeni vtor, candide lector, hos labores seu magis hoc à labore diuerticulum, non popularis auræ studio me suscepisse: sed vt in his aliquando exhilaratus, & aliis laboribus elapsus, vtilißima ratione ingenium, quod nisi exerceas, rubigine, quemadmodum ferrum conficitur, Varrone asserente, exercitarem: incepimus nos, viámque strauimus, hoc súsque déque fer, & perfice. fieri enim non potest, vt Galenus, inquit, quod idem incipiat, idémque perficiat. Vale bene, lector amice: siq; vspiam peccatum sit, amicam spongiam non recusamus. Datæ Ensiskemii, anno Christi quinquagesimotertio, die mensis Octobris 28.

Lib. 2. de na. facul.

TOTIVS OPERIS
ARGVMENTA.

ARGVMENTVM PRIMI Dialogi de tuenda valetudine.

ANimum esse qui diuitem faciat, non opes. Paupertatem apud probos versari plerunque, eámque expetendam. Diuitias pessimarum rerum occasionem, Et ad eas viam esse compendiariam, quas dum petimus, quinario modo ita petimus, vt sanitas, cuncta etiam optima præcedat.

ARGVMENT. II. DIALOG.

QVid sanitas sit, & an eiusdem conseruandæ quædam ratio descripta cōsistat. Res naturales quot & quæ sint, Quomodo ineuitabiles. Quid ex crapula, abstinentia, ocio, & labore. Quomodo voluptas degenerare faciat homines. Mores ebriorum. De aere, prima re non naturali, multa. Vrbis incommoda. Et quæ rustici de peste somnient, aere infecto.

ARGVMENT. III. DIALOG.

CIbi & potus, secundæ rei non naturalis, in genere & specie exuberans

descriptio. Ebriorum mores qui sint. Et quomodo statutam decurtemus periodum.

ARGVMENT. IIII. DIALO.

EXercitii & quietis pro sanitate cōseruanda rationem habendam.

ARGVMENT. V. DIALOGI.

CIrca somnum & vigiliam quartam rem non naturalem, pro sanitate habendam considerationem.

ARGVMENT. VI. DIALOG.

QVomodo certa methodo sanitatem tueri valeamus, quantum ad inanitionis & repletionis quintæ rei non naturalis contemplationem.

ARGVMENT. VII. DIALOG.

SExtam rem non naturalem, animi quidem paßiones, pro sanitate, considerandam.

Index

INDEX OMNIVM quæ præclarius his de tuenda valetudine dialogis ſcripta ſunt.

A



Aquam

C

Fructuum

FINIS.

GEORGII PICTORII DIALOGI.

ARGVMENTVM primi dialogi.

Animum eſſe qui diuitem faciat non opes. Paupertatem apud probos verſari plerunque, eámque expetendam. Diuitias peßimarum rerum occaſionem. Et ad eas viam eſſe compēdiariam, quas dum petimus, quinario modo ita petimus, vt ſanitas cuncta, quamuis optima, præcedat.

THEOPHRASTVS, POLYLOGVS.

DIC Polyloge quid hæc Saturnina facies ſibi velit & pallor? POL. quid? videor tibi pallidus, qui me cenſore, nūc Ganymede pulchrior ſum? THE. Ergo deformior aliquando fuiſti? POL. Maxime iam

enim pars anni quarta est, vbi monogrammum buxo pallidiorem, ex Trophonii specu quasi reducem, dixisses. TH. At quid corpus tuum sic lancinat? PO. Imò quid animum dicas, qui ægrius habet? TH. Proh Iuppiter, non bellè viuis animo? quem in te, ad quoduis fortunæ supercilium, ex tetragono constantem credidissem. Caue mi Polyloge: nam potissima res, sunt bene vel male habendum animi passiones, quæ ex phantasia & forti imaginatione dependent, sicut in obesis & delicatis, dum quæque leuia arbitrantur & bene habent, cernimus, & macilentis sordidisq́; qui perpetuò fixis obtutibus curas affectant, & pereunt. Sed dic Polyloge, quódnam vlcus male admodum te habeat? PO. Verecundor Theophraste. TH. Ast apud amicum verecundari quẽ nec fucus, nec larua fingit, religio est: dic animosius. PO. Verecundor certè. TH. Importunè quidem: nam Iuppiter tibi adsum, qui suppetias dare statuit. Dic ergo quicquid est, mi homo. PO. Licet prouerbiali dicamus ioco, taciturnitatem, fidam arcani comitem, potissimum apud eos, quibus fidere non tutum est: ex quorum albo, te expunctum censuerim. Tamen persuasus vulnus detego satis chironium. Attende. Paupertatem

Animi passiones potiss. res bene vel male habendum.

tem

tem conqueror, quæ omnibus deplorata, Manlianam in me exercet tyrannidem. TH. Paupertatem? dignus nimirum qui Midæ coroneris mitra, Corœbo irridendus: præsertim quum chironium, id est, insanabile, inter tot pharmaca, tam leue indicaueris vulnus. PO. Quomodo inter tot, inquis? quum vix ex cornu Amaltheæ vel minutulum, eruere posses mihi proficuum. TH. Suspendio igitur laqueum quærito. Age, ad te redi, & confide: tibi enim Galenus adsum, qui (nisi tu renuas ipse) symptomati tuo facilè medebor. PO. Galenus? Pol non Apollo, non Aesculapius, non Podalyrius, aut Machaõ: sed Pluto Saturni filius, cui vulgò adscribitur ditandi facultas, citius subueniret. TH. Tace Polyloge ac stylum verte: statim enim senties mei pharmaci latentem vim, modò non aurem præbeas Batauam. Ecce primò istud tibi dabo eclegma, quod citra dubium (forte enim est, & virtuosum) animum iam marcescentem & languidum, in melius commutabit. Et hoc est, quod summus philosophorum Aristoteles, paupertatem apud probos viros plerumque uersari scribit, & opes à malis ferè solùm possideri. Iam melius habes? POLYLO. Non. Aristoteli enim non subscribo, ratio-

Paupertas apud probos versatur.

ne sui allegati semota. T H. Rationem addit. P O. Quam? T H. Quod improbi per fas nefásque sibi comparent diuitias, quæ sic cæcæ sint, vt in delectu proborũ & improborum facilè errent. P O. Et hoc fortassis Lucianus voluit, qui Plutum cæcum finxit. T H. Et etiam claudum, quoties ad probos ire debeat. Quid? melius habes, paupertatem symbolum probitatis agnoscens? P O. Parum: quàm enim miserum sit nil habere, & instrumento priuari quo liberales esse possumus, quo domum exornare, mensam cupediis popinarióque luxu reficere, & ad omnes vitæ vsus necessaria comparare, vel lippis constat, taceam seruorum nõ posse nancisci phalanges, qui ad nutũ iussa domini exequantur & inseruiant. T H. Eo certè priuari manubrio seu instrumẽto, vt dicis, vile est Polyloge, & tutißimum: est enim priuari peßimarum rerum occasione & ansa, quando subinde atrocißima, dum habemus, habendi tentamur libidine: & ideo quoque ad furta deflectimus, ad latrocinia, ad falsas obsignationes frequenter, ad fœnora sæpius, rapinas, incestus, periuria, ad fraudes, imposturas quoque, incendia, adulteria, & mille huius sentinæ pestes. Sicut seruis caruisse quoque leue est Polyloge,

Cur Plutum cæcũ & claudũ dixerunt.

Paupertas probitatis symbolum.

Diuitiæ peßimarum rerũ occasio.

Bonum seruis caruisse.

Polyloge, & tutum quādo insidiis hostium caruisse, tantum est & dolo, iuxta Platonis scita, quæ neminem seruum in dominum, integri & sani esse fatentur animi, ex prouerbio fortaßis collecta, Odit quisquis metuit. Homero nihil defuit æternitati cōnumerato, qui vnico seruo stipatus gratanter vixit: nihil Platoni quem diuinum nostrates proclamant, qui tribus saltem. Et minimum Zenoni, qui Stoæ cornibus nomen intulit, quamuis nullum habuerit, Seneca asserente. Audi Polyloge, eclegma nihil contulit, cuiusdam Epicuri cataplasma capiti, ceu rationis conclaui apponam, dicentis: Si ad naturam vixeris, nūquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam diues. Innuens Epicurus naturam exiguum, sed opinionem immensum desiderare, & rectè, cùm naturalia desideria sint finita, sed ex falsa opinione nascentia infinita. quid ad hæc Polyloge? POL. Vera sunt omnia quæ dicis. At multa poßidere agminatim petunt omnes, quia vtile iudicant & violentum, sicut ex Cicerone colligimus, qui secunda ad Verrem, summo diuitias extollit elogio, inquiens: Nihil tam sanctū quod non violari, nihil tam munitum quod non expugnari diuitiis queat. Vis me alienum ab

Aurea Epicuri sententia.

Expugnāt omnia diuitiæ.

ab hominis natura? TH. Non, sed quod ex animo hunc proscribas errorem volo, idque sentias, animum esse qui diuitem faciat, non pecuniam, quæ nihil ad animum, qui summæ beatitudinis finis est & organum. Non refert quantum in arca habeas, quantum in horreis lateat, quantum nauigio lucreris, si non acquisitis, sed acquirendis tantùm gaudeas. Non tanti huius facerem diuitias, qui multorum poßidet opes, quem vltra priuatum pecuniæ modum fortuna ditauit, auro & gemmis cinxit, purpura vestiuit, eóque deliciarum perduxit vt terram marmoribus abscondat, statuas sibi erigat, & quicquid optimorum pictorum ars queat, sibi depingi curet: si ad oblata semper maiora petit, & frequenter antecedentem, spumantis equi instar, præcedere totis viribus nititur. Satis ille diues est cui cum paupertate bene conuenit: hoc est, qui eas súsque déque fert diuitias, quas veras nominat philosophus. Veras etenim dicit, quæ necessaria vitæ suggerant, & vtilia sint ad ciuilitatis & domus societatem, Tales Crati, Zenoni, Democrito, Cleanti clarißimis philosophis, atque Fabricio qui fictilibus cœnabat, Sorano qui agresti mēsa, Atilio & Cincinato vomere & aratro citis

Animus, beatitudinis finis.

Quæ veræ diuitiæ.

tis & fortibus imperatoribus, Curio quoque raparũ comestori, satis fuisse legimus. Hallucinantes Iuliano Imperatori, qui nõ ob militum copiam, nec ob auri seu argenti myriades, non ob generis propinquorum phalanges, quamuis natus esset nobilis, felicem se dicebat: sed quia haberet animum quietum, & ad quemuis fortunæ flatum beneuolum. Cùm igitur, bone vir, quoque ad vsus domesticos atque ciuiles necessaria habeas, philosophos præfatos & imperatores tibi exẽpla finge, & tuis quietè vtere: atque reliqua enormia vitæ gubernacula, quæ nemo absque tormẽto, nemóq; syncerus & sui memor, sapienter amare poßit. Crede, tenes hæc? PO. *Teneo.* TH. *Declinat autem morbus?* P O. *Non generosum etenim ex crumena nasci, fama est.* TH. *Fama velox malum, quo nec velocius vllum. Id tibi persuasum velim, solã virtutem generosum facere, solámque beatum. Licet diuitiæ sæpe possessores nobilitent, tamẽ nõ ritè nobilitatos vel inde notaueris, quòd semper insolentiores & ferociores in subditos cognoscuntur, quàm hi sunt quos animi candor, magnanimitas, constantia, fortitudo, & quæuis nobilitauit virtus, seu ex quibus animus clarus ex suorum parentum*

Generosus ex crumena.

Insolẽtiores nõ vere nobiles

a iiii imagi-

imaginibus feliciter emicat. Ad viuũ profectò, quantum video, hoc tuum rescanandum erit dum erit vulnus, quia scabies non Herculana est, quæ linimentis velit eblandiri leuioribus: habeo Senecæ καθαρτικὸν saluberrimum, planè istius noxæ residuũ expurgare potens: hoc adhibebo, quamuis nõ boni medici duxerim, medicamenta subinde mutasse. Quemadmodum enim planta rarò succrescit in radicem, quæ frequenter de loco in locum transplantatur, sic quoque vulnus egrè in cicatricem densatur, si pharmacum subinde aliud suggeratur & aliud. Sic habet Seneca: Multum est diuitiarum contubernio non corrumpi, & in affluentibus hinc inde diuitiis, vitiorum fomitibus, animum seruare incõcussum. Quid ad hæc? Sed & illud audi, planè causticum (sic enim medici vocant) non tractabiles esse diuitias, Philostrato referente, quum inter ardua & difficillima quæque connumerentur. Quid nunc? PO. Nihil. Si enim pauperes succurrat, diuitum esse mancipia, statim recrudescit vulnus. THE. Sed audi. Nam in hac erroris regia, te, si poßibile fuerit, non relinquam. Audi igitur planè philosophicum & residuũ morbi eductiuum: Stultum quippe esse vehementer appetere, quod peßimo

Nõ est boni medici mutare pharmaca.

Hæc petitio stulta.

pessimo fine potest concludi: sicut etiamnum diuitiis est genuinum, quæ multis ad bene agendum sæpius fortissimo restiterunt conatu, quæ humanarum mentium laqueus censentur: funesta libertatis sarcina, & vt quidam dixit, omnium vitiorum metropolis. Dum enim nihil virtutis possessori adiiciunt, etiam si quid habeat, adimunt: sicut hinc quisque facile deprehendet, quando earum victorem cominus & eminus laborare notat, vt illis præsit, eásque vel ambitione seu popinario luxu delicatè absumat. Quando item victum, cui tam deest quod habet quàm quod non habet, in auaritiæ fermento vel ad rauim vsque egentiam clamare, & paupertatem lugere audit. Resipisce igitur, & non in Crœsi diuitias te iurasse persuasum habe. Nudum in hanc vitam ingressum finge, & nudum exiturum. Finge quoq; auibus in dumetis nihil deesse, pecora in diem viuere, feris alimenta ex solitudine succrescere. Finge præterea cuncta huius mundi aliena, saltem tempus nostrũ esse quod viuimus, ídque breuissimum, si querendo & eiulãdo insumpseris. Non pauper est mi Polyloge, cui quantulumcunque superest, satis est. Sed omnium pauperrimi sunt innumerabilium egeni, & quibus cum

Diuitiæ quid.

Saltem quod viui mus, nostrum est.

paupertate

paupertate non bene conuenit. Da sinistrã, vt veritatis præconem experiar ex pulsu. Ecce morbus declinat. PO. Sed testudineo, quod aiunt, gradu. Euripidis enim scitum, omnem sopitam resuscitat memoriã, quod sic habet, Cum diuis flectunt venerandos munera reges. TH. Præcordiis tuis calcaneum, impreßit horrenda lues habendi, sed fortißimum philosophi adhibebo bezoar. Dicit enim compendiariam eße viam ad diuitias, si diuitiis nihil addiderimus, sed vanis cupiditatibus multum detraxerimus. Et alibi: Claudere (inquit) desiderium, est cum Ioue certare de imperio. PO. Pulchra sunt omnia illa. Sed necessaria saltem habere velim, & diuturno vsui proficua. TH. Tamen antea dixi talia poßidere te, sed ea quæ vulgò petũt, diuturno vsui proficua credis, eleganter à Seneca descripta, dum habendi duos fatetur modos, primum, habere quæ sunt necessaria, & secundum quæ satis sunt. Ast illis duobus tres adiiciendos opinor, quæ abundè sunt, quæ multum sunt, & quæ nimium sunt. Vbi bone vir, qui ægrè infirmaris, primum modum voluptuosum nomina, secundum superuacuũ, tertium damnosum, quartum fugiendum, quintum perditionem. POLYL. ἐν παιᾶν

Euripidis dictum.

Quæ via compẽdiaria ad diuitias.

Quinque modis petimus diuitias.

anodyna hæc sunt & deorum manus Theophraste, qua me ex hoc Labyrintho quasi Thesei filo, in portum reducis saluberrimum. Nunc enim quascunque opulentias obelo notans, fumi vmbrã reputo, curtámque meam supellectilem susq; déque possidẽs, æquo suffero animo, etiam si penulatorum alpha habeat. TH. Rectè, mi Polyloge: nam sat diuitem esse, cui sat bene est, vel cæcis compareat. Sicut ex Samiorum quoq; Pythagora vbertim liquet, qui sanitatem cæteris vberiorem ratus est thesaurũ, quando lege instituit, vt singulis epistolis ceu genuinum præfigeretur exordium, sanitatis optio. Quamuis & clarius id nobis innotescat in Pyrrho post Alexandrum prudentissimo milite, qui diis immolaturus nõ regni ampliorem modum, non de hoste victoriam insignem, non gloriam, non aurum, non gemmas, & id genus alia, quibus mortalium plerique velut panico casu attoniti inhiant: sed sanitatem petebat, quasi hac parte bene constituta, prosperius cessura viderentur alia omnia: meritò tamen: nam & si toto sinu sese affundat fortunæ afflatus, absit autem sanitas, nullum illinc promanat emolumentum quod iuuet. PO. A tramite me seducis Theophraste: si visum tibi

Vnde sanitatis optio in exemplis.

tibi fuerit, pòst ponemus totum de præfata re negocium, ſaltem de ſanitate locuturi: quamuis enim ſanitatem ſummam, & Septembribus horis laudabilem nō habeam, tamen hanc quæ nunc præſens eſt pro virili conſeruatam velim. TH. *Tractabimus ſi vis.* PO. *Volo: & primò quid ſanitas ſit, ex te quæro, qui ad quæſiti huius nodum, facilem habes reſpondendi copiam.* TH. *Enarrare non grauabor. Eſt tamen quod domi nunc agam, quapropter hora pomeridiana fac me reuiſas. Tibi nunc congratulor, qui ex* Iro, *ditior* Crœſo *ſis effectus. Vale.*

ARGVMENTVM *ſecundi dialogi.*

Quid ſanitas ſit, & an eiuſdem conſeruandæ quædam ratio deſcripta conſiſtat. Res *naturales quot, & quæ ſint.* Quomodo *ineuitabiles.* Quid *ex crapula, abſtinentia, ocio, & labore.* Quomodo *voluptas degenerare faciat homines.* Mores *ebriorum.* De *aëre, prima re non naturali, multa.* Vrbis *incommoda.* Et *quæ ruſtici de peſte ſomniant, aëre infecto.*

THEOPHRA. POLYLO.



Nde gradu tam alato Polyloge? PO. Ex musæo cōmunis nostri amici, Theophraste. TH. Cuius? PO. Christophori Lindii, nostri parœchi, hominis sanè vel ex asse diserti. TH. Et Argiuo clypeo digni, quam enim nihil vel ex agro vel ex rure concionando proferat, super omnem Irin est. PO. Hoc noui Theophraste sedulò, & ita vt hunc facilè Atticam musam duxerim. TH. Qui sic? PO. Nam sua genuina, qua est eloquentia, ceu Veneris habeat cestum, omnes in sui allicit amorem, & remoratur. TH. Et tu fortassis ab eo nunc remoratus horam neglexisti statutam? PO. Quid? non in tempore venio Theophraste? TH. Venis: sed pomeridianam habebas assignatam, quum interim nostri solarii gnomon secundam præsagiat. PO. Sat citò inquiunt, si sat bene. Modò superest prouinciam aggredi attētatam. TH. Quæ est ea? PO. Sanitatis ratio, propterea sanitas quid sit, ex te scire desidero, maximè quum ex præcognitione quid nominis, perueniamus in cognitionem quid rei, philosopho scribente. TH. Haberem Polyloge, multos hu-

Laus Christop. Lĭdii Hechingani.

Sat citò si sat bene.

ius

ius rei definitores, sed eminentißimũ si vis tibi adducam rei medicæ athletam Galenum, qui quosuis alios longè lateq; vincit. PO. Volo Theophraste, pluris enim Galenum facio quàm reliquos. TH. Attẽde igitur. Sanitas, inquit libro tertio de Morborũ differẽtiis, dispositio est factiua actus. PO. Nisi apertius hæc dixeris, planè oraculum mihi videntur. TH. Oraculum? Audi igitur quæ primò de sanitate tuẽda loquatur. Sanitas constitutio est corporis, ait, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur. quid ad hæc? intelligis? PO. Intelligo: quid autem si corpus ab illa cõstitutione parum deflectat, ægritudo est? THEOPH. Nõ Polyloge, nisi enim sensui appareat læsio, vel quod impedit, Galeno non est morbus. PO. Quare. TH. Quia raro, imò nunquam inuenitur quisquam, qui in complexione naturali sibi vndique perfectus constet, & næuo careat. PO. Miserum ergo hominis plasma. TH. Miserum profectò miserũ, cui naturam verius dixeris nouercã tristem, quàm mitẽ parentem. PO. Est autem sanitatis conseruandæ, quadam methodo conscripta ratio? TH. Est, præcipuè ex rerum quas medici non naturales vocant, serie. PO. Quæ sunt hæ res Theophraste?

Sanitas quid.

phraste? TH. Sunt mi Polyloge, Aer, cibus, potus, motus, quies, somnus, vigilia, repletio, inanitio, & accidentia animæ. Hæ igitur recto administratæ modo indiuiduum in bona conseruant dispositione, perperam autem destruunt. Sunt enim ineuitabiles, & variis de causis distemperantur. PO. Ergo qui illis legitimè vtitur, Charontis cymba expers censetur? TH. Non, sed pallida mors æqua falce nemini parcit, quod illa ex quibus constituimur, ad inuicem corruptiua sint. PO. Exiguum igitur est, quod ex bono illarum rerum ordine iuuat. TH. Imò maximum. PO. Quódnam si hominem mortis non facit innoxium? TH. Quod mortem, quæ citius & præmatura obuiaret, in longum perendinat: sicut ipse, pro tua qua flores industria, facile colligere poteris, si hominem diutius magísque à morborum noxa, in aere versari posse consideraueris, claro, sereno, puro, & à fœtoribus immuni, quàm nebuloso, turbido, & sterquiliniis infecto. Si item, habita ciborum consideratione, hominem tutiorem victurum scieris, quàm ea neglecta, quod cibus quem medici euchymum vocant, in iusta temperatura corpus retineat; extranea verò caliditate atque humido acci-

Res non naturales sex sunt.

Res non naturales ineuitabiles.

Quæ ex cibo potẽtia nimiũ calida.

dentali.

dentali participans, ad humorum putrefa-
Quid ex ctionem quæ febrium minera est, disponat.
crapula Si quoque calidi innati suffocationem ven
& ocio. turam credideris, dum ordine recto studiose
spreto, nimium ventri indulgeas vel som-
no: aut dum quietis sic certa desit periodus,
vt in perpetuo degas ocio & plumis ster-
Quid ex tas. Denique si trutinaueris substantifici hu
nimia ab moris præmaturam consumptionem acce-
stinentia leraturam, quum vana religione, vel aua-
& labore ritia illaqueatus, nimium ieiunas, aut im-
moderato nimium intentus exercitio supra
modum laboras. Intelligis nunc Polyloge,
ordinē artémque valere? PO. Intelligo: sed
quis brutis ordinem artémque, sicut dicis,
præscribit? quæ (sicut indies notamus) an-
norū serie nos longè latéque superant. TH.
Natura rerum magistra, cuius limites rarò
egrediuntur. PO. Non etiam nos ducimur
ea doctrice? TH. Valde rarò, titillans enim
& omnium suffragio deplorata voluptas,
sic ex humanæ naturæ albo expungit homi
nes, vt nescio quid magis videantur agere
Voluptas quam homines. Quosdam enim Asotos sic
degenera in ebrietatis se volutare fermento videas,
re facit vt planè vel leonis furibundi rabie, seu ca-
homines. nis immundi latratu, vel simiarum attel-
lanas saltantium gesticulatione, aut asini

male

male obtemperantis stupore vtantur, & ita vt quosuis obuiantes tyrannide molestent, allatrent, imitentur, atque penitus omni ratione semota, in rupes sese dedant præcipites. Alios item, qui velut concatenati, summo studio, summóque conatu, Veneris spumigenæ ita sequuntur castra, vt se grunnios fieri & oletum amicæ deuorare, aut saltem lambere non verecundentur, polypum quoque exosculari Agnæ suæ; nere, sandalio percuti, suere, & planè rabularum suarum sic lingere podices, vt nec Melitæi canes rectius queant. Nonnullos præterea quos vestium sumptuosa voluptas, ab humana in ferarum degenerare naturā facit, quos sic habitu frustillatim videas inciso, variis coloribus intertexto, vt nec an psitaci vel graculi sint, an homines internoscas. Quosdam, ob venandi studium planè satyros dixeris vel Panos, quòd nemora diésque noctésque ferarum desiderio incolant: quas si ceperint, pro edulio sic in deliciis habent, vt hisce, etiamsi oleti instar fœtent, ac si amaricinum olerent, vescantur, & prorsus ob ferinæ carnis appetentiam, eos vel ceruos vel lepores, vel apros, seu pygargos fieri non dubites. Quid ad hæc Polyloge? credis natura nos regi, an methodo vitæ describendum

Mores ebriorum.

Amatoriū mores.

Vestiū luxus quosdā degenerare facit

Taxātur qui nimiū venationi student.

bēdum regimen? P O. Gratißima sunt quæ dicis Theophraste, & vera, eßètque huius farinæ sylua. Sed quia hactenus respōdēdi ex te nō sensi tædium, quærere non desistā. rogo igitur, quæ ex rebus quas nō naturales dicis, prima est & cæteris valentior?

Aer cur prima res non naturalis.

T H. Aer. P O. Cur aer? T H. Quia ab eius qualitate nec possumus vel tempus abstinere minutulum, ob anhelandi neceßitatem. P O. Ergo aër anhelando necessarius est? T H. Bifariā. P O. Quomodo? T H. Primò, quia refrigerat spiritus & calorē innatū, attractionis via: secūdò, quia sequestrat & proscribit fumosas superfluitates spiritus & calorem obnubilantes innatum, expulsionis tramite. P O. Persuades Theophraste, nunc enim facilè credo, benè viuēdi methodum conscribendam: potißimum quia ex medicorum confesso, aerem, cor nobilißimum attingere membrū, pateat. Deprome igitur, siquid de hac re in tuo habeas calatho. T H. Attende, nam lubens tuis acquiesco monitis. Cùm ergo aerem nos ambientē, complexionis mutandæ causam præsentißimam, propter expirandi & inspirandi neceßitatem intelligimus, debebit sanitatis studiosus vlnis (quod aiunt) obuiis aerē

Qualis aer eligēdus.

eligere

eligere temperatum, qui in ſuis qualitatibus tam actiuis quàm paſſiuis, nec minimum excedat, ſed mundus ſit, clarus, odore ſuauis, ſole oriente cito caleſcens, occidente ſtatim frigeſcens. Talis enim non ſolum ſpiritus & ſanguinem nutrit, auget, clarificat, ſubtiliat & depurat, verum etiã ſpiritus lætificat, mentem ſerenat, & digeſtionem in omnibus membris feſtinat, PO. Spiritum & ſanguinem aere nutriri & augeri, ſicut dicis, prodigioſum multis, & incredibile viſum iri, non dubito. Quamuis à Plinio memoriæ traditũ reperi iuxta Gangem Aſtomorum gentem, aere tantum viuere, quem radicum, florum, & malorum ſyluestrium ſalubri odore, nutrientem efficiunt: id quod Pythagoricis quoque placet, dum odores ad nutricationem multum conferre teſtantur. TH. Siniſtrè rem intelligis, bone vir. Non enim nutrit alicuius materiæ ſuffragio, ſed effectu. PO. At ſi quid exceſſu peccet, lædit? TH. Lædit: ſi enim calore ſit nimius, diſſoluit, & laxas facit iuncturas, ſitim generat, ſpiritus diminuit, virtutem deiicit, digeſtionem abſcindit, calorem genuinum (qui eſt organũ naturæ) reſoluit, cor omnis vitæ baſim & fundamentũ aduẽticio calore moleſtat, hu-

Plin. lib. 7. cap. 2

Odores ad nutricationem faciunt.

Quãtum lædat aer calidus nimium.

moréſque mobilitãdo ad membra nobilia, plane habetur ſanitati contrarius. P O. Quia oppoſitorum eadem eſt ratio, philoſophο ſcribente, fortaßis calido, frigidus opponitur aer? T H. Nec minoris eſt nocumẽti, quia rheuma deriuat à capite ad fauces, nares, pectus, & ſingula membra, neruorũ impotentiam, quam ἀνεύρισμα vocant, excitans, cum aſthmate, & præſentißima coſtarum ægritudine. P O. Felices igitur ſunt & multum incolumes, qui perpetuo aëre fruuntur temperato, quos inſulas fortunatas incolere dixeris, vbi tellus inarata ſuã profert ſpeltã & triticũ, & non moriuntur homines. T H. Recte mi Polyloge, ſi per nullum accidens aër humanæ naturæ proſicuus, detrimentoſus in his locis efficeretur. P O. Per quod? aërem enim ex tetragono ſemper arbitrabar ſibi conſtare, ac non mutabilẽ. T H. Nõ Polyloge, ſunt enim quaſi infinita quæ à ſalubri aërem bonum, ſeducunt tramite. P O. Quàm lubens auſculto: ſed narra quæſo, vt dictorum habeam medullam. T H. Attẽde. Et ſi inſulas quas vrbanus dicunt, temperatum ambire aërem manifeſtum ſit, viuariis tamen & lacubus præhumidum fieri compertum habemus. Et eo magis ſi per incuriam incolarum omnes

Frigidi aëris nocumenta.

Aër bonus per accidens malus.

Qualem aërem inſulæ vrbanæ.

eò

eò effundantur sordes, & promiscuè omniũ purgamentorum efficiantur lerna. credis hæc Polyloge? PO. Facilè: nam perpetua in his locis febrium macerantur tyrãnide, & catarrhosi sunt incolæ. At hac labe ciues carent, qui stantes non habent aquas, sed riuulos qui per vicos grato labuntur murmure? TH. Non: siquidem aliud est quod eos male habet. PO. Quod nam? Tamen domus inhabitant in altum pario lapide erectas, bracteatas, columnas habentes quadrangulas, teretes, & vndique striatas, ac ingeniose depictas, quales Attalus habuit, quas in angulis pinnatæ turres, & alta specula scitè exornant, cupro & auro tectas. TH. Et quid prospectus censes? Si enim aperta fenestra prospiciat ædiũ dominus, statim propugnaculum fimo erectũ intuetur, si latrinas vicini sui aut domesticas potius non etiã (fœdã certè rẽ) abhorreat, seu proximi tẽpli ob sepulturã incommoda. PO. Et hæc alterãt aërẽ? TH. Maximè: nã equorum oletum ad nimium calorem disponit, vaccarum ad humiditatem nimiam, porcorum & ouium ex tota proprietate venenosum efficit, & sanis cõtrarium. Ex cœmiteriis & latrinis fœtor quantum lædat, vel cæcis palàm est. PO. Ast ego ex Vtopia

Vrbis incõmoda.

nuper affirmantem audiui, eo tempore, quo epidimialis incrudeſcit lues, nihil vel ſalubrius vel præſentius ad ablegandũ tabem, quàm ſi quis ter in die latrinas olfaciat aut ouile ſtabulum. TH. Iners fortaßis aut fatuus hæc dixit Polyloge. PO. Non: prouidum enim hunc dicunt, & circumſpectũ quidã. TH. Ha, quẽadmodum non omnes Thyrſigeri Bacchi, ſic non omnes oratores ruſtici. Coruus quod ſuũ eſt crocitat. Crederem illi certe ſalubrius, ſi hoc tempore etiã oleto paſceretur humano, quo ambrã ſuam vel beζoar in vẽtriculo geſtaret. Ego pluris aromatica facio, quod corroborẽt, quàm illos fœtores qui oppoſitum agant. PO. Ergo ſunt æquè infœlices ac nos vulgares, tuguriola in agris poßidentes. TH. Multo infœliciores, quod ad hæc inuidia etiam eos, liuor, odium, rixæ, commodũ priuatum, incõſtantia, adulatio, ſimultates, clãcularia obtrectatio, vana gloria. Et nulla nõ Erynnis in furorẽ exagitet, vnde vicinus, quamuis Marte nõ aperto, tamẽ clam vicinũ lædit, frater fratri obeſt. Et licet amicorum ſyluã in vrbe confidas te habere, larua ſubducta meros ſenties inimicos. Nitidæ domus, quas habent, planè nihil ſimultatis eorum mentibus adimunt. Pluris profectò pluris caſulam

Ruſtica opinio de aere tẽpore peſtis.

lam haberem ruri vicinantem, perflatilem, ex vno latere orientē, ex altero ſeptentrionem reſpicientem, malarum arborum ſeu herbarum non ſentientem iniuriam, quam tales regum turres, & furiarum repagula.

Quæ dos mus ex parte aeris optima.

P O. Tibi ſubſcribo Theophraſte, ſed quæ ſunt hæ arbores & herbæ quas malas dicis? T H. Nux, Sambucus, Ficus, Helleborus, Eruca, & Caules. P O. Cur malæ? T H. Quia aeris ſic bonam alterant habitudinem, vt gramen ex earum vmbra tactum, pecori reddatur pabulū inutile. P O. Mira refers. Sed nidos in montibus quanti facis Theophraſte? T H. Magni quòd ab aeris fece diſtent: quemadmodum enim in aqua & quouis humore fæx ima petit, ita in aere ſpiſsiſsima quæque deſidunt, propter quod omnis aer quo terris propior eſt, eo craſsior: & quo editior, longiúſque à terrarū colluuie, hoc ſyncerior puriórque: vnde arces quas nidos appellitas Polyloge, ſalubres arbitror: habent enim aerem quem Galenus primo de ſanitatis regimine commendat, ſubtilem, purum, & nulla vel ſtagnorum vel paludū euaporatione infectū, ſi eorum terra ſit libera. P O. Quam autē terram liberam arbitraris? T H. Quæ ſine minera eſt. P O. Si igitur vel ſulphur

Arbores & herbæ aerē inficiunt.

Arces in montibus commendantur.

Terra quæ libera.

vel arſenicum adſit, aërem immutat? T H. Ad calidum & ſiccum. P O. Si antimoniū vel marchaſita, quid tum? T H. Ad frigidum & ſiccum. P O. Multa ergo ſunt conſideranda in aeris electione. Aſt de vallium aere quid ſentis? T H. Parum: nam montes ſolis liberum aggreſſum prohibent, turbidū & nebuloſum efficiunt. P O. Ergo domum quam hactenus in deliciis habui in noſtra valle, repudiandam cenſes? quod æſtate nimium caleat, hyeme plus æquo algeat: quódque ſolem neque aſſurgētem reſpiciat, neque occumbentem, ſed vndique cincta ſit, & nebulis refert. T H. Nō repudies eā, ſed aerē frequens pro temporis ratione mutabis, quod Syrio flagrante aſtro commodè poteris, ſi conclaue foliis ſalicum, roſarum, violarum, nenuphare, pampinis, vitium capreolis, myrtillis, cydoniis, piris, pomis arāciis, granatis, camphora, aceto, vel aqua roſarum cōſperſeris: quæ omnia aerem ſupercalefactum refrigerant, ſpiritúſque tenebricoſos ſerenant & clarificāt. P O. Hyeme verò quid ſuades? T H. Vt ſuffitum ex aromatibus facias. P O. Quæ ſunt hæc? T H. Caryophylli, cinamomū, ambra, thus, maſtix, ſandaraca, olibanum, xyloaloes & crocus. Niſi pharmacopolas adire malis, qui

De valliū aere.

Quomodo aeris qualitas alterāda.

qui trochiſcos exhibent de Benſui, de Gallia, vel alipta muſcata. Quamuis & herbulas quoque ſparſiſſe proficuum duxerim, ſicut maiorana eſt, lauendula, menta, ſerpillũ, flos tunicæ, ozimon maius & minus, & ros marinus. PO. Anguſta res mihi domi eſt Theophraſte, quæ hæc precio comparare vetat: nõ poſſum viliora habere? TH. Potes, ſi enim flammam ex ligno iuniperino feceris, quercino, vel abietis, non fumũ, qui oculos lædit, ſimilem aeris ad calidum ſenties effectum. PO. Pulchra de aere dediſti in medium Theophraſte. Sed vnius ſcyrpi nodum, ſuperpondii loco enodãdum ſuaſerim, quippe an qualitas aeris cauſa ſit, quod plerunque ad nos aduẽticii, potiſſimum ex Sueuia, quũ primùm appulerũt, ægrotare incipiant, & ſæpe etiam moriuntur, & econuerſo, ſi noſtrates in Sueuiam migrauerint, quoque deficiant. TH. Proculdubio: ſi enim locus naturalis, vt philoſophus inquit, ſui eſt locati conſeruatiuus, neceſſe quoque eſt alteratis elementis, locatum alterari, & in ſua naturali diſpoſitione plerunque non conſeruari. Id etiamnum in plantæ cernimus ſemine, dum nutrimentum non trahit, vt augmentum ſuſcipiat, niſi in terra naturæ ſuæ conformi & regione

Fumus oculos lædit.

Cur Sueui terra ſua alterata ægrotent.

ne connaturali. Iam habes quod petebas? P O. Habeo. Sed ne vnam ſaltem tetigiſſe videamur chordam, rogo non naturalē rem ſecundam ſuis delineas coloribus, quā æquè certa methodo deſcribendam auguror, quū ciborum potuúmque, maximè inter delicatos & eos quos miſerrima fouet aula, tāta ſit varietas & appetentia. T H. Rectè ſentis. At inteſtina mea furioſi canis inſtar nunc latratum fremunt, vereor famē præſagient: à prandio igitur redi. P O. Vale.

ARGVMENTVM tertii dialogi.

Cibi & potus ſecundæ rei non naturalis in genere & ſpecie exuberans deſcriptio. Ebriorum mores qui ſint, & quomodo ſtatutam abbreuiamus periodum.

POLYLO. THEOPHR.

QVid nunc inteſtina tua bone vir? T H. Mactata hoſtia leniora ſunt, & melius habent. P O. Licet Theophraſte verbis eloqui, quæ mente ſunt repoſta? T H. Licet. P O. At impune? T H.

Impune;

Impune: ſcommata enim te adducturum ſcio, ſed amicum. P O. Acu rem tangis. Nam te malum cantorem dicere ſtatui, & bonum cupediarium, ob inteſtina tua, quæ ſemper animũ in patinis habent, & famẽ ructant. T H. Tibi ſubſcribo. Nam lupum meliorem dixeris cãtorem, quàm Theophraſtum, ſed lupum non æquè voracem, quum ſtomachũ habeam adamãtinum, qui ferrũ decoquat aut chalybem. At videtur tibi incõſultum, ſic noſtrum tractaſſe negocium, vt interim corporis nulla obrepet negligentia? P O. Imò ex tripode deliberatũ: nam omnes tuã hanc nitidam cuticulã, non abſtinentia cõtractam opinantur. T H. Abſtinẽtiam laudo, quod ſanitatis non poſtrema ſit propagatrix. P O. Sed vt recutiti carnem ſuillã. T H. Hoc eſt vt abſtinentia planè abſtineam. P O. Age, nugis omiſsis ad rem redeamus. Quæ igitur ſex rerum nõ naturalium, quas dixiſti, ſecunda ſit, repete. T H. Meæ deliciæ, cibus & potus. P O. Cibus & potus? Eſt autẽ in horũ adminiſtratione ars quædã obſeruãda? T H. Si diis placet, quoniã ars de iis eſt, circa quæ contingit errare vel recte agere, ſi philoſopho credimus. P O. Dic igitur quẽ lapſum cõmitto, ſi fame ingruẽte cibum ſubtraxero? T H. Non leuem,

Secundæ res nõ naturalis, cibus & potus.

Ethic. 7.

quia

quia ventriculum malis reples humoribus, eo à locis proximis attrahente sentinam, quod statim intelligis crebram humiditatẽ exspuendo, & appetitu prostrato, amplius non esuriens. P O. *Frequenter igitur labor, quoniam rarò in appetitus instantia cibis vescor. Dic autem appetitu hoc modo sopito, est nihilominus quid de cibo degustandum?* T H. *Non, sed eius expectabis reditũ.* P O. *Si autem nimium tardari velit?* T H. *De syrupo acetoso, aut granatorũ vino parum lambito, quæ amissum reuocant.* P O. *Et hoc reuocato saturatim est ingurgitandum, nostratium helluonum more?* T H. *Minimè: nam si ex craßioribus nutrimẽtũ repletio fiat, iuncturarum incides dolores & asthma, splenis & hepatis obstructiones, atque phrenitim: si ex subtilioribus, febres acutas & apostemata multum maligna.* P O. *Verum si dominæ gulæ quid indulsero, quomodo noxæ medebor?* T H. *Vomitu.* P O. *Sed aliquibus insolens est vomitus, & vomere nesciunt.* T H. *Hi dormiãt donec crapula euanescat, aut temperato vtantur exercitio, vel subducant ventrem leniẽte medicamine.* P O. *Dic Theophraste, conuenit monogrammis & obæsis idem cibus?* T H. *Nequaquam: primi enim facilè spiri-*

tuum

Famẽ tolerare stomachũ lædit. Auic. tertia 1. cap. 7. doct. 2.

Quid in appetitus amißione faciendũ.

An extenuatis & obæsis idẽ cibus.

tuum coangustantur diaphoresi, vnde cibo multum nutriente opus habent, pingues verò phlegmatis habentes redundantiã, cum obtuso calore, cibo pauci nutrimenti. P O. At quem cibationis scopum calorem fortẽ habentibus, membra dura, robusta, & labore multum exercitata, præscribis? T H. Si naturales virtutes feliciter illis consentiant, pleniore & crassiore fruantur edulio, quàm in opposito se habentes. P O. Quia respondendo te satis expeditum sentio, quærere nõ grauabor Theophraste: dic igitur an hyeme quãdo frigus est intensum, & æstate quum ardens caniculæ flagrat astrum, consimilis ad sanitatem conseruandam cibus conueniat? T H. Non: quia hyeme rectius cibis actu & virtute vtimur calidis, multi nutrimẽti et solidis: æstate verò frigidis, pauci nutrimenti. Tamen vtroque tempore, complexiones habemus valde cõsiderandas. Melancholicus enim nutriente opus habet, humectante ac parum calefaciente: sed cholericus, infrigidante & humectante: sanguineus frigido, pauci tamen nutrimẽti: phlegmaticus calido, ast subtili: quibus omnibus sedulò curandum est, ne causæ digestionem corrumpẽtes intercidãt. P O. Quas causas opinaris? T H. Lentam

Quis cibus calorem fortẽ habentibus.

Cibando cõplexiones considerandæ.

ciborum

Quinque causæ digestionem corrumpentes.

ciborum masticationem, lupinam voracitatem, ferculorum & potuū diuersa genera, prolixam refectionis moram, & malum cibandi ordinem. P O. Lædit masticatio quā lentam dicis? T H. Cane rabido peius, quū nec ventriculus, quem humani corporis patremfamiliâs vocant, nec cætera membra cibum solidum comminuere queant, sed dētibus saltem hæc commissa sit prouincia. P O. Nisi ergo comminutum prima digestio cibum excipiat, secundam arbitraris imperfectiorem? T H. Imò planè imperfectam, quum masticatio bona digestionis primæ sit principium, & mala pessimarum ægritudinum occasio, sicut cephalea est oculorum caligo, dentiū cruciatus cum putredine, & epilepsia. P O. Sed diuersa edulia cur damnas? T H. Quod in sanitatis foro nullū locū obtineant. P O. Quare? T H. Quia prolixū inter primum & vltimò appositum cadit interuallum, efficiens vt primum semidigestum, ab vltimo distractum in cruditate remaneat & putrefactioni, quæ minera febrium est, præparet. P O. At morā facere in mensa, iuuentutem reuocare inquiūt deperditam. T H. Iuuentutē? certè, non aßignatā attacturam periodum, sicut indies in crapulosis quibusdam & aulicis deprehēdimus,

Lēta masticatio.

Masticatio bona digestionis primæ principiū

Cur diuersi cibi noceant.

Ducere moram in mēsa nocet.

qui

qui in omni ciborum luxu, rarißimè diuinitus præscriptam suorum annorum complent seriem. P O. Recte singula ordinauit prudens rerum pater. Nam si in tam deperdito luxu diutius viuerent, istis qui holusculis & rapis victitant, non æquus videretur. Sæpius tales Phyloxenos, piscibus & carnibus à primo mane in multum diem, sic promiscuè lasciuire noto, vt iusto eos nomine porcos amphibios dixeris: aut maris instar, pamphagos insaturabiles. Quamuis peßima eos quoque sic exagitat Erynnis domina ebrietas, vt planè aliud quàm homines agere videantur, quando suis incumbunt virtutibus ingurgitando. T H. Eorum mores probè nouisti Polyloge, credo quòd etiam illis ex schola Catiana discipulus cõuixeris. P O. Non, sed frequenter ex vicinis ædibus hæc colligo. Cauponem enim vicinum habeo, vbi quosdam porcos effectos, oletum deuorantes sæpius noto, Alios canes, ter comesta, quarto comedentes, Alios leones, in rabiem sic exagitatos, vt totam furiarum fremere cohortem coniiciam, Nonnullos asinos intantum rudentes, vt nec indecentius omnem Arcadiã potuisse credam. Absit quòd glires alios fieri indies videam, quando vino sopiti omnem fortunam

Notantur quos gulæ delectat.

Ebriorum deprauatimores.

fortunam dormiendo negligunt. Et Pãphilos quosdã, qui dum amatoria narrare student, ructus edunt, & ventris bombos fœtidum sic exscreãtes anhelitum, vt planè Augiæ stabulum olere dicas. TH. Misera igitur regum aula vbi tot capaces amphoræ, & tanta versatur temulentiæ proles. PO. Misera. Sed in aliud hîc diuertendum videtur, quippe, quòd istos vnguentarios vappas, paulò antè dixisti, non suam annorum complere seriem, quum ego ex diuinis literis, si prophanis sacra miscere licet, cuique suæ vitæ terminum præscriptum sciã. TH. Verum est, sed hunc lucernæ ardẽtis instar, variis occasionibus extinguere atque abbreuiare possumus, sicut ex prophetico colligimus, quod habet: Vide ne moriaris in tẽpore non tuo. ac si diceret propheta, cura ne statutam à Deo periodum incuranter deseras, & ingluuie, quod in longum ordinatũ est, decurtes: quemadmodum enim lampadem, quum oleum non redundat, lucere videmus, quia suo recreatur pabulo. Verba Galeni sunt. Et si modum excesserit atque plus æquo inundauerit, extingui, quia sibi cõtrarium sentit, quoque deprehendimus. Sic calorem naturalẽ, qui in nobis existit, natiuo fluore rectè administrato, virescere

Terminus vitæ gula abbreuiatur.

Ecclesi. 7.

Comparatio Gal. de lampade.

atque florere intelligimus. Humiditate autem extranea superueniente & nimium aucta, suffocari vel extingui. Hoc Polyloge, nimia tum cibi tum potus euenit repletione, Plinius id succinctè ostendit, quãdo (inquit) voluptate incipiente desiit vita. PO. Sacra loqueris Theophraste, sed in viam redeamus, quia praecedenter malum cibãdi ordinem, quoque causam dixisti bonam digestionem corrũpentem. Nunc ordinẽ eam ipsam conseruantem adscribere velis rogo: parũ enim quis rectus cibandi sit ordo hactenus cõsideraui. TH. Ausculta: hũc enim bonum iudicamus, si liquidos & facilis digestionis cibos, solidis & tardae digestionis praemittimus, ne scilicet dura liquidis exeũdi meatus oppilent, & corruptio fiat. PO. Ideo semper praemittẽda sunt subtilia? TH. Non, quoniã si quis de crassioribus in coena parcè sumat, & subtilioribus ingluuiose vescatur, dura praemittantur, quae in auara quantitate aequè citò digeri possunt, sicut liquida vel subtilia in magna quantitate. PO. Complet autem hic canon omnem ordinem Theophraste? TH. Non: quia & id curandum, ne primum quod degustas edulium, leue sit & lubricum, & ante digestionem sui, alios quoque cibos educat inco-

Plin. in prolog. 14. lib.

Bonus cibandi ordo.

ctos: néve in mensæ principio fructus sumantur styptici, quemadmodum sunt cydonia mala, pira, amygdala & castaneæ, quæ corrugãdo vias oppilẽt, & à stomacho descensum prohibeant. Licet in ventrem habentibus fluidum, diuersum intelligatur, quibus styptica primo cõueniũt, & vltimo lubrica, sicut pruna sunt, cerasa, & mala persica. PO. *Et sic in sanitatis area fructibus vti permittis?* TH. *Permitto, hac lege obseruata, vt in pauca sumantur quantitate, ne sanguinem generẽt nimis fluidum, & putrefactioni paratum, maxime tamen illis qui ventriculos nimium æstuantes habent, vel propter genuinã complexionẽ, vel propter laboris improbi, seu balnei calentis distemperantiam, aut etiã alicuius morbi adustiui vehementiam.* PO. *Si quis autem Batauam tuis legibus præbeat aurem, & appetitui valde indulgens, saturatim comedat, non est huic excessui opponendum pharmacon?* TH. *Est: iusculum enim, quod subductiuum vocant, aut vinum dulce, seu mellicratũ, huic noxæ medebitur.* PO. *Ordinẽ profectò suis delineas coloribus, sed famelicus parũ isthæc considero: quicquid enim ad manus fuerit, si vel crudæ fabæ sint, mihi saccarũ videtur: operosas conditura, &*

Cerasa & pruna quibus in principio mensæ cõueniant.

Fructuũ vsus qualis.

& varias cupedias ad Socratis dictum, nō tanti faciens, qui famem optimum condimentum dicebat. TH. Hoc autem modo sanitati parum prospicis. Nam crassioris substantiæ cibus, qui ob resistentiam non statim dispergitur, famelico, æstuãte stomacho cõuenit, & nõ subtilis qui confestim ad omnes ventriculi se diuidit parietes, & repletionẽ quandã efficit non veram. PO. Id superest Theopraste, nã quærere nõ desistã, si respõso te facilẽ sciuero. Qui fiat quòd plures dicant se non meridiari vt appetẽtiores in cœna sint, quũ ego ientãdo, prãdẽdo, meridiando, cœnãdo, comessando, & vbertim pergræcando appetentior fiam. TH. Id cõsuetudine habes & vsu, qui à crepundiis studueris crapulæ: sed annorum series aliud dabit, nisi prouerbio quid decidat, Alia vita, aliã diætam postulat. PO. Quomodo? me voracem sic permansurum arbitrabar. TH. Nequaquam, quia senex effectus in partes commutabis plures, quæ nũc vnico prandio, Herculis instar, deuoras. PO. Rogo, causam ostende. TH. Nam si non omni hora quicquã dederis seni, calor eius declinat: si nimiũ, suffocatur: id quod in elichnio extinctioni parato quoq; notamus, nisi enĩ de oleo modicũ addas extinguitur: si nimiũ,

Fames optimum condimẽtum.

Alia vita aliã diætã postulat.

citius actum est. P O. Habeo adhuc Gordo-
neum (vt aiunt) nodum, quem dissoluendũ
An in cœ- arbitror. Dic ergo vtrum in cœna vel pran-
na vel dio cibus conueniat vberior? sæpe enim gra-
prãdio ci- uißimos medicæ profeßionis de hac re dis-
bus conue sidentes audiui. T H. In cœna (inquã) vbe-
niat vbe- rior, potißimum si noctium ingruat longitu-
rior. do, & somnus recte sibi cõstet. P O. Ratio-
nem fortaßis habes? T H. Euidẽtem: siqui-
dem bona digestio, non solum stomachi, sed
etiam hepatis & omniũ aliorum membro-
rum, in somno, quando virtutes & anima-
les & naturales fortificãtur, exactius quã
Cœna qui vigiliarum hora perficitur. Tamen rheuma-
bus fruga tis laborantes copia, seu parum dormiẽtes,
lis conue- selectos velim, quibus cœna multum fruga-
niat. lis esse debet, & à somno multum distans,
ne distrahi per cibum natura poßit, ab hu-
moris redundantis digestione. P O. Facetus
es homo Theophraste, qui sic ad viuum iu-
dicando resecas omnia. Cùm autem inter
omnes cibos panẽ vbi vbiuis gentiũ tenere
primâs sciam, haud à via deflectes, si quis
optimus sit, dixeris. Nam plures esse diffe-
rentias compertum est. T H. Scyrpum dis-
Quis opti soluit Isac in particularibus Polyloge, qui
mus panis ex tritici medulla quam similam vocant, in
sanitatis foro scribit optimũ, quod sangui-
nem

nē generet bonū, & vbertim nutriat, quā-
uis astrictam habentibus aluū, haud conue
nire contendat, nisi parum furfuris inter-
mixtū sit farri, qui temperatè coctus, ne ex-
teriora nimis habeat exusta, nigræ bilis ge
neratiua, néuē interiora nimis mollia & sto
machum grauantia. PO. Nimirū Isac me-
dullā ex quouis tritici īnuit. TH. Non, sed
ex hoc qđ ne quod vetustate neq; nouitate
corruptū sit, quod maturū & aère claro cō-
seruatum, cuius granū (nam panis, naturā
grani ex quo fit, imitatur) à puluere sit mū
dum, corpulentū, ponderosum, & subrubeū.
PO. At salis si modicum accedat, quāti fa
cis panem? TH. Magni, potissimum si recte
fermētatus. Nam oppilationes hepatis &
lienis, accidere vetat, atque renū & vesicæ
prohibet fieri sabulū magisque si ante alios
cibos cum modico seminis anisi sumatur: sic
enim superfluos vrinando proscribit humo
res. Tamen panē calore æstuantem, mensæ
non apponendū suaserim, nisi quis fragrore
delectaretur, qui syncopisanti vires reponit
amissas. PO. De opyro ex siligine quid di-
cis? TH. Esse mali nutrimenti, & baiulis
proficuū, sicut de hordeaceo quoque scribāt
autores pane, quē ventositatum generatiuū
& cōstipatiuū Isac probat. Tamē qualescū

Exteriora panis vstulata melācholiā generant.

Quod optimū triticum.

Calculi medela panis cū se. anis.

Fragror panis calidi confortat.

que panis sint omnes differentiæ, maiorē copiā admittūt doctores hyeme quàm æstate, asserētes quoq; molestiorē esse corpori repletionē ex cibo superfluo, hoc est pane quàm vino: iuxta illud quod vulgò dicitur, Omnis repletio mala, panis pessima. P O. Caro succedit pani, selectiorem igitur ostendas rogo Theophraste. T H. Porcinā, quod calidi & humidi iustā obtineat tēperaturā, aliis pferūt carnibus Galenus & Auerrois si porcus annū non excesserit, & caro diebus aliquot sale fuerit conspersa, vt viscositatem amittat. Ast male habentibus vix crediderim offerendā, ob tardā, quam facit in stomacho concoctionē. Porcellinam non æquè laudant quod plurimæ sit humiditatis & phlegma generet, Galeno dicēte. Bubulam frigidā & siccā arbitrantur, potissimū vetulā, digestioni rebellē, alui constrictiuā, & sic atrabilariam, vt si frequēter ex ea vescatur, qui melancholiæ symbolū habet, melācholicus efficiatur, aut symptomati huic humori proportionato subiiciatur, sicut lepra est, elephantiasis, cancer, serpigo, fœda scabies, & impetigo, propter quod (sicut Græci & Latini testantur autores) à bubula carne abstinuerunt veteres, non aliter quàm recutiti à porcina. Sed Athenienses hanc

Panis repletio pessima.

Quæ caro opt. Gal. lib. 3. de alim. col. 3.

Quæ incōmoda ex carne bubula.

hanc primò in vsum dederũt, prius aratio-ni tantùm non macello, bouem dicebãt ha-bilem. Cuius vsque adeò respectum habe-bant vt legem statuerint, quisquis bouẽ oc-cidisset, pro mulcta haberet exiliũ. Tauri-nam & vaccinam si annosorum sit anima-lium præcedenti similem opinantur, & ex sanitatis albo expungunt, & magis si fumo tosta, quod vtranque difficilem digerendũ credant, mali chymi, & nigri succi scaturi-ginem. Vitulinam & hædinã omnes vtro-que cõmendant pollice, quum digestioni fa-cile obediant, bonum sanguinem admini-strando. Ex hædis tamen subrufi & cæsii fa-cile cæteris sunt meliores. Arietis castrati anniculi carnẽ, & omniũ castratorũ in sua specie tẽperatã iudicant. Licet actiones & passiones eorũ sint magis fœminarum carni vicinãtes, quia mẽbra, quæ caloris natura-lis sunt fundamentũ, amiserũt, Isac dicente. Circa quæ tamẽ notandũ hæc de castratis quadrupedũ esse dicta: nam volatilia istis selectiorẽ habent carnẽ. PO. Caprinam au-tẽ & hircinã quales iudicant medici? TH. Auicẽna princeps Cordubensis, vtranq; ca-cochymam fatetur, & quartanã inducere. Sed Isac, ericii carnem, vulpis, vrsi, & ca-nis, pessimas esse cõprobat, quod stomachũ

Bos olim macello inhabilis.

Ex hædis subrufi & cæsii meliores.

Vniuersalium 14.

offendant, ventrem cohibeant & lotiũ, crebrásque inducãt vigilias, sintq́; ex toto corporis humani fabricæ dißimiles. Galen. in libro de subtiliante diæta, leporum carnem præfatis adiicit, quod æquè arefaciendi habeat facultatem. P O. Et nihil de carnibus addes ferinis? T H. Constantinus in re medica vir non imi subsellii, omnes illaudabilis & melancholici sanguinis generatiuas asserit, nisi partui vicinas. Sed illud quoque non prætereũdum videtur, ceruinã carnem magis æstate culpabilẽ quàm hyeme: tunc enim venenosam censent propter serpentum & viperarum esum. scribunt enim naturales, & maximè Plinius, ceruos cum serpentibus habere innatum dißidiũ, nariúmque spiritu serpentes ex cauernulis, etiam renitentes, extrahere & deuorare. Hinc item valde sitire, sed natura docente, sitim supprimere vt æstuent, & venenũ facilius decoquãt. Attamen propter huiusmodi esum attrahere carnem, quæ cocta iecur obstruat, & lienẽ, quæq́; si iugiter mãsa tremores adducat. P O. De carnibus pulchre philosopharis Theophraste. At de animaliũ partibus quædam in mediũ profer, ne quid omissum videatur. T H. Ausculta, à cerebro faciam exordium. Cerebrum ergo cacostomachum

Quãti caro ferina facienda.

Caro ceruina æstate venenosa. lib. 8. cap. 32.

De cerebris animalium.

machũ eſt, ſicut oſsium quoque medulla & adeps, appetitum corrumpens, & velociter in putredinem tranſiens, maximè ſi in fine commãducatum fuerit refectionis: propter quod Galenus, volentes inquit, vomere, in cibi mãducent fine cerebrum cum oleo. Ne tamen obſit, cerebrum condiri debet eo modo quo animalium oculos conſueuimus: qui licet cæteris membris facilius digerantur, tamen ob pinguedinem & viſcoſitatem, indigeſtionis quicquam contrahũt, & nocẽt: vnde cum aceto, ſale, apio, pipere, calamento, caryophyllis, ſemine carui, aut gingibere condiãtur. Nares, aures, & guttur, propter cartilagines digeſtioni ſunt rebelles, pauci & mali nutrimẽti. Sed cor, ſi digeri poteſt, multum nutrit, & bonũ creat ſanguinem, potiſsimũ tamẽ cerui cor, quod occulta proprietate intoxicatis quoque prodeſt. Pulmo accidentali complexione frigidus, ſecundũ Galenũ, facilis eſt digeſtionis, diuerſum tamẽ Raſes ponit tertio ad Almãſorẽ. Hepar craſſum & turbidũ in venis efficit cruorẽ, de quadrupedibus tamẽ melius eſt hædinũ, porcinũ & vitulinũ: de volatilibus gallinæ & anatis præcipue obeſarum, Stomachus, inteſtina, vẽter, cutis, nerui, ſplẽ & vterus, in agricolis & vinitoribus, qui ex labore æſtuantes

De animalium oculis.

De naribus auribus & gutture.

De corde.

De pulmone.

De hepate.

De ſtomacho & inteſtinis.

ſtuantes ſtomachos habẽt, & quæuis dige-
De lingua. rentes, relinquantur. Linguæ bonitas ægris & rectè valentibus ſuſque deque ferenda.
De cauda. Caudam Raſes venenoſam dicit, & penitus ex ſanitatis albo exſcribendam. P O. Ego profectò iſthæc ſingula parui duco, ſi gallinas aut capones habeã: ſum enim frugi homo, qui gallinam paruo precio lubẽtius, quàm bouem magno comparare, ſtudeat. T H. Imò multum delicatioris, cui plus gallinaria ſapit caro, quàm bubula, collegio nimirum ſubſcribis Epicureorum, qui (ceu virtutis ſit) caponẽ carni ſuillæ voluerunt præponendum & gallinam, præcipue iuuenculam, oua parientem: magna docentes veneratione, ac ſi non omnibus notum ſit pulpamentum caponis iuuenculi & gallinæ in quatuor qualitatibus eſſe temperatum, ſucci boni & facilis digeſtionis, ex Hali colligentes hæc dogmata. Attentantes autem nihilominus ſi poſſent auertere alios delicatulos, ne gallinis & coturnicibus veſcerentur, Raſim adducant, carnem gallinarum frequenter comeſtam, vermes generare ſcribentem, & cothurnicum ſpaſmum & tetanum, propter helleborum quo cibantur. P O. Sed de gallis & columbis qualiter iudicas? T H. Galli annoſi carnem, ſanis & ægris

Caro gallinarum vermes generat, cothurnicũ ſpaſmum.

ægris parum proficuam, quòd humiditate
sit priuata, & nitrositatem in se habeat, pu
tredini valde paratam, sicut Rases docet
quarto Aphorismorum. Brodium autem seu
iusculum ab ea decoctum, pluris facio, nam
aluum adstrictiorem leniter admodũ soluit
& prodest. Colũbarum verò carnem præ-
fatæ haud dissimilem duco, non tam pro-
pter calorem quem habet intensum cũ ari-
ditate, quæ eam duram decoquendũ reddit,
quàm propter occultam suam proprietatẽ
ad chronicas ægritudines capitis disponen-
tẽ & febres. Licet grauius quid Rases scri-
bat, dum Cassisam quendam, quod ter vni-
ca die ex columbis degustasset, animam de-
disse recitat. Suadent tamen autores, ne ob-
sint, cum lactuca decoquendas. Sed colum-
barum pulli decollati, effluxóque cruore nõ
solũ arti coquinariæ vtiles sunt, quia boni
succi & digestioni nihil rebelles, verũ etiã
quasi antidoton renibus affectis mirificè
subueniunt, eodem scribente Rasi. PO. An-
serem bonũ censes? TH. Non, sed duræ car-
nis. PO. Quæ duros nimirũ quoque Iudæos
facit, qui plurimum hac carne viuunt, &
duræ ceruicis sunt. TH. Scopũ attigisti, sed
eandem nauim insident cum anseris carne,
anatis caro, gruis, pauonis, cygni & cico-

Ius galli veteris solutiuum.

Cassisa ex esu columbarũ periit.

Iudæi cur duræ ceruicis.

nias:

Hali li.5. cap.23. niæ: sunt enim omnes musculosarum partiũ & concoctu difficiles. Tamen Hali lib. 5. Theoricæ, scitè admodum docet vt tribus diebus postquam interfectæ sunt, à collo suspendantur, graui lapide pedibus alligato, vt caro tenerescat, digestionique paratior reddatur. Phasianus & gallus quem auritum vocant, bonitatem perdicis accedũt, quod optimi succi sint, ad digerendum faciles, statim in sanguinẽ cõuertibiles, omnique ætati ac complexioni habiles, exceptis sacrificulis aut sacerdotibus exiguos census habentibus: loculos enim horum ad torridum perducunt marasmum. P O. Sed auiũ in dumetis degentium carnem quoque laudabilem narrant? T H. Narrãt, sicut merularum, turdorum, corydalorum, & bonosarum, sed passerum & sturnorum valde digerendã aiunt duram, & stomacho multũ ingratam atque sanguinem incinerantem. P O. Incineret, vel nõ incineret, οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ, oẽs carnes ne gry quidẽ facerẽ, si pisces adsint, quibus tam auidè vescor, vt rectè me dixeris ichtyophagum, quãuis præhumidos sciam, & phlegma generantes.

Caro auiũ qualis.

Pisces qui minoris noxæ.

T H. Et sic piscium non habes delectum? Non, sed omnibus æqua vescor appetentia. T H. Minoris autem noxæ qui velocißimi motus

motus ſunt, credito: nõ vicioſi odoris, carnis nõ tenacis vel duræ, non ex lacubus ſeu aquis ſordidis, aut herboſis, ſed quiſ quamoſi ex aquis facile agitabilibus, Septẽtrionem reſpicientibus, profundis, ſalebroſis, claris, & veloci fluentibus curſu. P O. Conditionibus iſtis parum conſideratis anguillas amant noſtrates. T H. Omnium peſſimos, quòd earum in aquis ſimilis eſt generatio, ſerpẽtum generationi in terris, vnde rariſſimè veneno carent. Cuius tamen vis mutilatur nonnihil, ſi caput, cauda & ſpinæ interioris medulla proſcindantur. Cur non potius amant lucios & triglas haud tam pœnitendi nutrimenti piſces? P O. Quia delicatis non æque ad palatum faciunt, parum ſanitatem, ſed dominam gulam curantes. Vnde ſæpius etiam aſpratili neglecta, mugiles, oculatas, fundulos, & quos moruas nominãt, ſaturatim deuorant. T H. Sed aromatibus iunctis. P O. Quid? ſunt piſcibus aromata iungenda? T H. Sunt, quæ eos humiditate priuent ſuperflua. P O. At quæ ſunt ea? T H. Cinamonũ, crocus, caryophylli, radix gingiberis, galãga, & ſi quis velit lignum aloes. P O. Salmones ſic cõditos modici ſaporis crediderim. T H. Hos petroſelino coquẽdos cenſent, ne illorũ quã habent, noxa,

Anguillæ omnium peſſimi.

Piſces aromatiſandi.

noxa, digestioni resistat: sunt enim sicut car
piones, durissimæ carnis & mali nutrimēti,
Cancri omniuori. præcipuè saliti. P O. Cancros quidā amant
piscibus neglectis. T H. Verū est, sed Hali
scribente, cibus sunt digerendum improbus,
præsertim quos nos saxatiles vocamus: phi
losophus omniuoros nominat, quòd imū, la-
pillos, & algam deuorent, & etiā stercus, si
Canti.22. cap.394. præstò sit. Tamen Rases cācros & ipsorum
iura phthisicis conferre testatur, & quibus
Veneris destitit pruritus. P O. Esu cancro-
rū vehementer delector, sed oua magis amo
ex piscibus, etiamsi male audiāt à medicis.
Oua pisciūmala. T H. Et meritò, pessimi enim succi esse, sto-
machūq; grauare cōpertū est. Tamen si ouis
gaudes, elige gallinarū, recens nata, elixa,
Oua quæ optima. paruula, & quæ Græcis ῥοφυτὰ, hoc est, sor-
bilia dicūtur, oblōga seu fastigio cacumina-
Lib.9.ca.5.lib.6.de ani.historia. ta, quòd sint (Columella teste) masculini se-
xus prolifica: cōtra Aristotelē, qui obtusa in
orbiculum rotundata, eiusmodi esse fatētur.
Isthæc enim sunt euchyma, & ganeatis edu
liis connumeranda. Nam semen augent ge-
Oua assa qualia. nitale prolificum, non flatuosum, sicut oua
venti, magis tamen si assa fuerint cinere,
Oua sartagine cocta. mollia, quāuis tardioris sunt concoctionis in
stomacho, propter humiditatem ex cinere
resolutam. P O. At quāti τὸ γηνιςὰ facis? id

est,

est, sartagine cocta? TH. Quanti sunt, hoc est pessimi nutrimenti, siue cacochyla. Nam bilem generant rubeam, quæ malarũ ægritudinum fit occasio, medicis attestantibus. PO. Sunt tibi vates medici, ex Sybillinis foliis oracula dicentes? Ego profectò rarissimè illorũ assertis fidem habeo, quũ indies vacillantes eos notẽ. En assidebã nuper satis erudito, sed parum sibi constanti, is, cum lacte vescerer, Abstine dicebat mi Polyloge, ne capitis dolorẽ sorbeas, & dentes nũc bene sanos, putredini pares, dúmque appetentiã tuã satiare laboras, stomacho desis, & rugitus intestinorũ inducas: mox semoto à me vrceolo, ipse quantum erat in lac incidit, non aliter quàm Philoxenus ille, qui in pulpamentum, nasi sordes emungere consueuerat, vt aliis auersantibus cibũ, ipse solus haberet. Quærẽti cur & ipse non abstineret, retulit, vẽtriculũ à cholericis & pituitosis humoribus, expurgatũ se habere & tẽperatum, me verò oppositum sentire: vnde statim incidit, dolosum esse, & sibi viuere. TH At sinistrè: nam visa saltem extrinsecus corporis tui habitudine, statim interiora iudicare potuit. Lyncels enim sunt oculis medici, rationales maximè, qui visu penetrant corpus, etiã chlamyde tectũ. Sed

Lac in bono stomacho non nocet.

Lactis quatuor bonæ conditiones.

quod lac dicebat esse præstantius? PO. Cui quatuor bonæ succinerent conditiones, hoc est, quod colore albißimũ, odore gratum, liquore temperatum, atque sapore dulcorem sic accedens, vt triplicẽ elicere ex eo substãtiã facile queamus: in qualitate tamẽ multũ diuersam, sicut prima est, quã crassam dicimus, casei materiam, complexione frigidam. Secunda pinguis, ex qua butyrum colligimus, quæ calida. Tertia aquea qualitate algens, hanc serum vel aquam casei nominãt, ictero ex oppilatione atque ex vino laborantibus fumoso, præsens remedium.

Ad quæ serũ caprinum.

TH. Non habebat lactis aliquas differentias? PO. Habebat, sed lac caprinum humanæ naturæ satis dicebat proficuum, præsertim fluxui paratis, quod stypticum sit aut virtutis astrictoriæ, ob cibũ quo capra pascitur, ex dumetis enim viuit & arborum foliis. Vaccinum altero ponebat ordine (nã asinino quod pluris faciunt, aut muliebri, non vtimur) hoc enim Auerrois testimonio fretus ad restaurandũ quod dissolutum est, ex mẽbris radicalibus valde potens allegabat. Auctarii tamen loco superaddẽs, Post esum lactis, nõ cõfestim degustãdũ quicquã de vino: quod vinum, lac in grũmos coagulari faciat, meatus obstruendo, strãgulationem

nem quoque inducens. TH. Non dicebat Bezoar, si aliquis negligens vinum super bibendũ infudißet. PO. Maximè, quoniam nepitæ super lac. folia sicca, & in pollinem redacta, in tali Bezoar si periculo constitutis degluticnda monebat, lac in grũ aut nepitæ succum. TH. Prudens monuit, sed tu proprii commodi studiosum credidisti, quando à lactis te seduxit esu? PO. Sum equidem primo, sed prudenti solertia denuò ablegauit suspicionem: adduxit enim Hippocratem vt facilius crederem bono cœlo consuluisse, dum inquit, separatorum sermonum quinto libro, Caput habenti debile, venas hepatis strictas, stomachum rarum & immundum, intestina coolicæ paßioni disposita, frigidos morbos & febres timenti lac præsentißimum malum est. An vera sint, Apollo iudicet. TH. Vera sunt, non dubites Polyloge: sed noxam quam sub se lac habet, saccaro mutilant reges, aut melle, quod hinc facile suam corruptionem impediri volunt. PO. Ast, quia caseum lactis nouimus filium, rogo suo periculo nobis delineas caseum, vt sciamus quanti in sanitatis area sit habendus: diuersi enim diuersimode hac de re loquuntur & nodum faciunt. TH. Meritò: diuersæ nanque casei sunt etiam differentiæ, sicut princeps ostendit

Vinũ nõ mos.

Caseus lactis filius

Auic.can. 2.ca. 122. secundo canone: Est enim salitus quidam & vetulus, quem Isac fugiendum docet, quod durissimæ sit digestionis, mali sanguinis generatiuus, rubeæ bilis scaturigo, faciens sabulum in renibus & vesicæ calculum. Est & recens multum salitus, stomacho grauis, quem pari modo ducunt illaudabilem, propter humores quos stomacho & intestinis facit contrarios. Tertius quoque recens est, sed vtcunque salitus, hunc gratum aiunt stomacho, & parui nocumenti. Quartus præterea est lacti vicinus absque sale, hunc cæteris præferunt ceu alui subductiuum, qui bonum nutrimentum præbeat & stomachum, vt felicius digerat, sigillet: cuius vsum non dissuadet Rases si Tertio ad Almans. moderatus sit, vel ritè comestus. PO. Ergo caseum, pro sanitate conseruanda admittis? TH. Differenter, quibusdam enim vberiorem, sicut macilentis: quibusdam tenuiorem concedo vsum, sicut obœsis. Sed tu quid de se loquatur caseus, attende.

CASEVS DE SE loquitur.

Ignari medici me dicunt esse nociuum
Et tamen ignorant cur nocumēta ferā,
Expertis reor esse ratum, quia cōmoditate

Lan-

Languenti stomacho caseus addit opē.
Caseus ante cibum cōfert, si defluat aluus,
Si constipetur, terminet ille dapes,
Ad fundum stomachi dum sumpta cibaria trudit
Vim digestiuam non minus ille iuuat,
Si stomachus languet, vel si minus appetit ille
Fit gratus stomacho, conciliátque cibum.

PO. Sui tibicen caseus est, malignos fortassis sibi vicinos habet: si boni succinerent autores Theophraste, facilius illi crederem. TH. Succinunt, & medicorum ferè principes: etenim Cordubensis Auicenna Galeni interpres, à præfatis quæ caseus de se dixit, nec latum (quod aiunt) vnguem declinat. Id quod etiam Aegincta Galeni abbreuiator attentat. Sunt tamen omnes in hoc, ne saturatim ex eo vescamur. PO. At Hippocratis, quem Plinius medendi præcepta clarißimè tractasse scribit, nullam facis mentionem, qui diuersum dicit. TH. Si quæ scripserit tenes, rogo depromas. Nā Hippocratem rei medicæ antesignanum arbitror. PO. Teneo, ex quarto certe libro de Victus ratione morborum acutorum: vbi caseum flatum inducere, angustiam facere,

Pli. li. 26. cap. 2.

cibos accendere, cruditatem parere, & concoctioni resistere perdocet, maximè tamen apud eos, qui se potu repleuerunt. TH. Re-Rectè dicis Polyloge, eo loci me quoque legisse occurrit. Et quæ ibidem de leguminibus scribat, subeunt memoriam: illis enim, nisi cum aliis, vtendum, dissuadet: quòd siue cruda vel cocta, fricta vel macerata sint, seu viridia, flatum faciant & ventrem distentent, cum aliquali capitis grauamine. P O. Sed de caseo quæ nunc sentis in tanta maximorum autorum dissonãtia? T H. Non dissonant. Idem enim Hippocrates in libro de Prisca medicina, nodum soluit, quando naturarũ differentias, in casei esu contemplandas monet, dum eodem quoque loco scopum sanitatem exoptantibus assignat, ne caseo se repleant, vel saturatim ex eo comedãt. Quemadmodum in fructuũ quoque vsu omnes ferè consentiunt, pomis enim repleri neruorum dolores adducere affirmant, piris intestinorum cruciatus, nucibus quas Italicas vocant, capitis & pulmonis grauedines, linguæ paralysim & stomachi subuersionem, cydoniis iuncturarũ pessima symptomata, quorum omnium moderatus vsus pro sanitatis area sæpe comprobatur. P O. Cerasa singularum regionũ communis

Legumino flatuosa.

Fructus an sanis conueniãt

communis fructus, salubriter viuere cupientibus, presunt? TH. Non: dulcia enim quæ sylvestria dicuntur, quamuis ob dulcorem multum sint nutritiua, tamen nimia sua humiditate stomachum laxum efficiūt, & visum mutilant. Acria verò vel acetosa, domestica nominata, licet incisiua & oppilationum sint aperitiua: tamen quia ventrem cohibent, parum commendantur, & potissimum si post eorum esum, vberior præpotentis vini sequatur repletio. PO. Quamobrem? vinum enim forte, nocumento quod ex cerasorum prouenit vsu, beZoar credidissem. TH. Nequaquam, sunt enim cibus putrefactioni paratus, vnde peßimi suboriūtur humores, quos ob facilem penetrationē tale vinum indigestos, ad membra deriuat, & sanguinem febrilem generat. POL. De malis autem quid sentis, quæ granata nominant? TH. Differenter enim trium specierum habentur. Sed quæ dulcia sunt, frigida & humida naturales dicunt, parum, Oribasio teste laudabilia: Nā κακοχυμίαν generant. Acetosa frigida & sicca præseruationis gratia à putredine, magis in vsu quàm cibationis via, probantur. MuZa medii saporis, mediam complexionem obtinentia, tamen diuretica sunt, quemadmodum

Cerasa dulcia & acetosa.

Vinum non bibēdum post cerasa.

dum arantia quoque, si ponderosa & minus acetosa, quorum caro vel medulla stomacho confert multum calido cholerico, reprimit enim choleræ rancorem, sed frigido damno est, cui frigus magis exasperat. Cortex autem saccaro conditus, diuersum operatur: nam ventriculo prodest algido. POLYL. Ventriculi crasim parum considerant nostratium helluones, si modò palatum reficiat cibus, salubris habetur. Boletis, tuberibus, rapis etiam crudis, brassica, cucurbitis, bulbis, citrullis, melopeponibus, allio, cucumeribus, cerui bolo, & huius sentinæ aliis fructibus, licet deterrimos nouerint, adeò vescuntur auidè vt nec asinum carduis delectari credas auidius. TH. Ast cerui bolum quem grebling Germani vocant, quod instar porcelli sibi cauernulam fodere consueuerit, saluberrimum credidissem cibum, maximè quum regibus adeò sit in deliciis, vt edicto quidam vetuerint ne quis temerè effodiat, aut multa talēta persoluat. PO. Si ea salubria tantùm credis quæ magnatibus placent, toto cœlo erras: dum enim ventri student & gulæ, delectū ciborum adeò negligunt, vt facilè pessima pro optimis deuorent, modò exotica sint, & à vulgi cognitione aliena. Id quod etiam

Taxătur qui sine iudicio fructibus vescūtur.

Bolus cerui quare grebling.

etiamnum in strobili seu articoccæ popinario apparatu verum esse deprehendes. Hunc enim (quia cibus exoticus) ac si magnam & sacram rem habeant pipere ac butyro suffocatum, post multa fercula mensæ denuò adiiciunt: etiamsi strobilum præmaturum, atrobilarium nouerint, & succulentum rubeæ bilis generatiuum: iactitantes prolificum esse & stimulare Venerem, sicut cerui bolus quoque faciat: neglecta consideratione vtrunque flatuosum haberi cibum, cui nullus à cerebro succinat humor pro embrionis formatione vera. Inuenias certè, qui charius tubera seu fungos, terræ lepram, quàm aut vitulum aut bouē emerent. TH. Ast Catonem dixisse Plutarchus scribit, eam rem publicam difficulter saluam futurā, vbi pisciculus pluris quàm bos vendatur PO. Egregius extitit vates Cato. Sed luxus vbique sic inualuit, vt ne quid supersit curasse, nūc politicum habeatur aut ciuile, palati causa omnes agminatim totum percurrimus æquor, omnem terræ lustramus ambitum, totiúsque vitæ operam desudamus, vt vinum preciosum preciosúsque cibus, fauces, breuißimū iter, pertranseat. Iam non est heroicum, si in vnico prandio mensam cohonestent capo,

Strobilus vel articocca.

Celebre Catonis apophthegma.

Huius ætatis notatur luxus.

Quot piscium species. Pli. lib. 9. cap. 14.

gallus auritus, capreolus, lepus, dorcas, perdix, turdo, cristata, turtur, aut phasianus, nisi piscium septuaginta quatuor species, & crustis intectorum triginta (nã plures esse Plinius negat) & epulis succrescãt. Taceã salsamenta & pembata popinario luxu intantum condita, vt nec Cleopatra luxuriosissima mulier, quæ centies sestertiûm cœnata est, saltem vnione hausto preciosius vel vnquam potuerit. TH. Ergo vulgare est, Vna mensa omne patrimonium, & si amplum, absumere. PO. Vulgare est. TH.

Triptolemi Athen præcepta tria.

Sed quanto melius foret Triptolemi Atheniensis paruisse legibus, qui omnem legis scopum in templo Eleusinæ tribus absoluit præceptis, quippe Venerandos deos, Honorandos parentes, Et carnibus non vescẽdum. PO. Id Babylonios quoque obseruasse Herodotus scribit, dum eos ob frugalem piscium esum, multos continuaße fatetur annos. TH. Credis parcè viuentes diutius viuere? PO. Credo: quam enim aliam dares rationem, quòd plerique nobiles & diuites tam stupidos ac præmatura morte pereuntes, edant partus: quàm vtriusque parentis & nutricum ingluuiosam, quam habent ciborum luxuriam, & vini præpotentis immoderatum vsum? Ast quia vini

Babylonii piscibus saltẽ vsi.

Causa cur nobiles partus edant debiles.

nunc

nunc orta est mentio Theophraste, ne quid indiscussum remaneat, dicere non graueris rogo, an aquam vino præferendam in foro sanitatis duxeris. Sunt enim de hac re opiniones multorum diuersæ. TH. Hunc gryphum facilè soluam Polyloge. Quamuis enim in repreßione sitis, quæ est appetitus frigidi & humidi, aqua potus est valẽtior, quia frigida & humida, vi suæ naturæ, tamẽ vinum in cibi permixtione & eiusdem delatione ad membra valde prævalet, vel propter subtilitatem in genuina substãtia, vel quia natura magis delectatur in eo: vnde & citius attrahit ipsum aliis cibis permiscendum. Quibus etiam quæ Theognes scripsit, scitè admodum adscribi possunt, quippe moderatam vini potationem non solum non malam, sed etiam vtilem. Et ea quæ Galenus: Quando inquit, vinũ mediocriter sumptum euidenter concoctioni, distributioni & sanguificationi conducit, animúmque mansuetiorem iuxtà ac audaciorem efficit, quæ omnia Aegineta, vir eximius, amplificat: dicens, vinum nostri corporis calorem suscitat, vnde & cruditas corrigitur, & sanguis emendatur, alimentum (quandoquidem promptè penetrat) per vniuersum corpus deducit, bonam cor-

An aquæ vino præferenda.

In libro Corporis tẽperat. animi mores sequi. Cõmoditates ex vino moderate sũpto. Aegineta. li. 1. cap. 95.

poris

corporis habitudinem emaciatis reparat, fastidiosis appetentiam cibi reconciliat, pituitosum humorem extenuat, bilem per lotium euacuat, caloris gratiam inducit, animo lætabundam alacritatem, iocunditatémque adfert, corpúsque robustius reddit. Et quemadmodum aqua lupinis multum amaricantibus superinfusa, Zenone asserente, Lupinos dulces facit, sic vinum potatum hominis mentem nubilam serenat, atque lætam generat: cùm aqua planè diuersum operetur: mortificat enim, paralyticat, spiritus opprimit, tristitiam inducit, audaciam mutilat, causat auariciam, liberalitatem proscindit, membra aggrauat, & omnes sensus obtundit, vnde vel cæco compareat pro sanitate vinum melius quàm aquam. Tenes hæc Polyloge?

Operationes aquæ.

PO. Teneo. Sed Galenum rei medicæ ducem eminentißimum scripsisse miror, puerum quendam Pergamenum, quod vinum degustaßet perpetuis laboraße vigiliis, & febre subsequente, cum mentis alienatione functum etiam fato: si tantarum, sicut modò dixisti, virtutum est vinum. TH. Post balneum siti correptum ingurgitaße Galenus scribit & largius, non leue seu dilutum, sed vetus & spirituosum, quale volunta-

Lib. de interio. cõment. 2.

voluntarium furorem, quem nos ebrietatem dicimus, conciliare solet. PO. Videtur tibi furor ebrietas? & necis causa? TH. Imò turpißima Medusæ filia & ipsa mors, quæ cùm corpus tum animam quoque rapiat. PO. Tamen Auicennam ebrietatem semel in mensa factam, ceu singulare pharmacum commendasse memini, quod somni profundioris ratione virtutibus animalibus alleuamentum inducat & quietem, sudorem prouocando, ac quæ superfluunt resoluendo. TH. Sed idem primo canone frequenter inebriari detestatur, quod inde hepatis & cerebri vitietur constitutio, & imbecilliores inoriantur nerui: vnde tremor, conuulsio, paralysis, comitialis morbus, apoplexia, anhelitus, atque animæ vitia, tinnitus aurium, phrenitis, torminosa calculi infestatio, molesta podagricorum pedum ignauia, stomachus subinde ructus & cruditatem respirans, atque fœdißima vomitus turpitudo, quæ omnia non solum deturpent ebrium suum, dehonestent, & insigniter oblædant, sed etiam vires illi exhauriant, exaniment, & planè, vel turpißima morte occumbere cõpellant. Quòd si remißius succedat, ad omne vitium trahant, conatibus deprauatis dedant, obsistentem verecun-

Ebrietas voluntarius furor

Secunda parte Cãticorum.

Tertia primi, doc.2.c.8.

verecundiam attrita fronte adimant, ad incestus & sacrilegia seducant. Cui profectò aquam hausisse præstaret quàm vinũ. POL. Quæsiti claram dedisti solutionem Theophraste. Cùm autem vini moderatè sumpti tantam nunc sciamus esse præstantiam, & immoderatè tanta sequi nocumenta, ne quis error vinum bibẽdo intercidat, vini vsum sanitatem cupientibus delinea Theophraste. TH. Id ab alio petendum erat, qui consideratius talem tractaret rẽ: nam ordine neglecto, arcus cælestis aquam attrahentis instar, sæpius quoque vinum attraho, & eo magis si theologicum sit aut vermiculare. Tamẽ ausculta, ĩ primis enim obseruandum id videtur sanitatem affectantibus, quòd in principio refectionis de vino non affluenter bibant, ne talis afflue͂tia cibum à ventriculi disiungat substãtia, & lædat. Nisi enim stomachus cibum conuenienter attingat, non mutat in similitudinem conuenientem corporis, sed remanet indigestus, si Galeno credimus. PO. Sitiat ergo quisque Galenista. TH. Sitim non suadet Galenus, sed cum cibo moderatè bibendum inculcat, donec alimentũ ventriculi fundum, vbi digestio perficitur, occupauerit: postea nanque vberiores conce-

In principio mensæ non afflue͂ter bibendũ.

dit

dit haustus, qui descensum ingesti adiuuẽt,
subtilient, atque in venas subtiliores pene-
trandum laborent, si cibus bonus fuerit:
quoniam post quodlibet cibariorum bibe-
re, contra medicorum decreta esse nemo nõ
nouit, qui Auicennam & alios sedulò con-
suluit. Auicena nanque super malos cibos Super ma-
vini vsũ interdicit, ratione allegata, quòd los cibos
vinum, ex malo cibo chymum, in extrema vinũ non
penetrare faciat, & humorum pro sanitate bibẽdum.
iustam symmetriam destruat. Cui *simili mo*
do Rases *suffragatur, quarto ad Almanso-*
rem capite quinto. PO. *Sunt qui refectio-*
nis tam principium quàm medium biben-
do negligant, omnémque potum in finem
mensæ differant, vbi affatim plenis fauci-
bus quicquid habent, ingurgitant. TH.
Sunt equidem, sed non omnibus sic suasse-
rim. PO. *Quibus autem?* TH. *Sanis, me-*
seraicas strictas habentibus, & aluum lu- Quibus
bricam. Nam *opposito modo se habentibus* ad finem
videtur consultius si paulatim, quod habẽt, mensæ re-
bibant, vt cibus cum potu melius permi- gio more
sceatur, temperetur, & facilius digeratur, affatim
febricitantibus exceptis. Istis enim diuer- bibẽdum.
sum consuluerim. Nam *affatim bibere &* Febrici-
non paulatim, magis proficuum est. Etiãsi tantibus
strictißimas habeãt meseraicas, aluumq; affatim
valde bibẽdum.

valde astrictam, modico etenim potu citius calorem suscitant, quàm minuant, sicut in fabrorum notamus officinis, qui vt ferrum magis igneant, obiter aqua modica diluunt, non copiosa suffundunt. P O. Hic Theophraste, & isti se obuiam exhibent, qui nisi ante lecti ingreßum frigidam bibāt, per omnem noctem inquietiores se dormire fatentur. Vbi tales errore duci maximè suspicor, Arnoldi fretus aphorismo, qui habet, Potus à cibo, dum ebullitio fit, digestionem interrumpit. Cui equidem lubens crediderim, vt qui per aquam ebullientem, sæpius expertus id fuerim, quæ si algidi quid receperit, statim ab ebullitione quiescit, & subsidet. T H. In hoc complures, sicut tu suspicaris, maximè errant. Sed aliquibus certa ratione potum frigidæ somno subsequente, concedit idem Arnoldus. P O. Quibus? T H. Omnibus qui post cœnam calidos, seu cholericos à ventriculo ad cerebrum, spiritus visibiles obtenebrantes, notant ascendere vapores. Nam actuali potentialíque frigiditate sic ascensum intercipere facilè poßunt, si modicè bibant. Conuixi aliquando Polyloge homini bene habenti, qui statim ad principium refectionis frigidam copiose ingurgitabat, quem vulgares

Frigida super cibum digestionem lædit.

Quibus frigida ante somnum bibenda.

gares ceu detrimentoſum damnaſſent ritum. Aſt ego propter aluum nimium aſtrictam id fieri ſciebam: habebat enim hepar perpetuo ſupercalefactum, quod attractricis nimium fortis erat facultatis, vt aluum impediret & duram faceret, facilitat enim aſtrictam, ſi frigida ſit & primò libata. PO. Dic Theophraſte, quod vinum omniũ bonitatis honorem obtineat, multa enim domina gula ex longinquo ad nos portari curat genera. TH. Quod eſt neque vetulũ, neque torculari vicinum, ſed medium, quod colore vermiculum, odoris optimi, non acerbum, ſeu dulce, non acutum aut fortitudine vincens, ſed æquale, natum in terra libera, non nimis plana, ſeu lapidoſis montibus, non ad meridiem ſita, ſed Phœbo ſurgenti contermina, regionis neque calore nimio æſtuantis, neque frigore nimium torpẽtis. PO. At ego primas dulci dediſſem, quod omnibus ferè gratum & optimum mulieres iudicant. TH. Statim optima quæ mulieribus placent arbitraris Polylege. PO. Non: ſed quia & ipſe delector, mulierum ſubſcripſi opinioni. TH. Tu eo delectaris nimirum quòd ebrietatis antidotum ſit, quum crebrò meracius libas, helluonum inſtar. POLY. Mihi quod ſatis eſt bibo,

Quibus hepar calidũ plus æquo ſtatim bibãt aquam.

Quod vinum optimum.

Dulcedo ebrietati reſiſtit.

non

non helluonum, sed Romuli more: quam enim turpe sit inebriari, antequàm Theognis nasceretur, sciui. Id autem quod dixisti malo, vinum quippe dulce, mederi temulentiæ, valde miror, nisi ioco dixeris. TH. Certè seriò. Braßicam enim, quam Iulius Pollux cramben, Theophrastus raphanum nominat, ebrietati obniti, apud Aristotelem legi, solum quod succum habeat dulcem. Id quod ex medicæ profeßionis autoribus quoque deprehendes. Qui si nimio plus vinolētia grauatos, vel vsque ad Plutonis cancellos (sicut dicitur) madidos viderint, primo vomitu eos alleuiari iubēt, mósque aduersus euaporantis fumi ex vini reliquiis vim, panem melle litum porrigūt, vt repercussu malo grassanti obueniat dulcedo. Quamuis amarum, dulci ex diametro resistens idem faciat, inter acrepala nanque (sic enim quæ ebrietatem fugant Dioscorides vocat) amariores recensentur amygdalæ. PO. Cur amygdalæ, quibus amaror est Theophraste? TH. Amaritudinem exsiccandi vim habere narrant medici, quæ venas oppleri non sinat: istis enim præter modum distentis & obturbatis, ebrietatē contingere ratum habemus. Tamen quid de vino dulci sentiendum duxerim

Braßica contra ebrietatē.

Panis melle litus cōtra ebrietatē

Amara contra ebrietatē.

rim

rim, audi quæ Hippocrates libro tertio de Victus ratione morborum acutorum, scribat. Dulce (inquit) vinum non adeò sicut vinosum capiti grauitatem adfert, & minus tentat mentem, sed iecur & lienem in tumorem attollit. Ac ne quidem vtile, in quibus amara bilis exuperat, sitim excitat, & superiorem intestinorum partem inflat, inferiori verò intestino (quod ad flatus attinet) nō adeò infestum est. Isac addit quædam: nam remollire ventrem duriorem, & pulmonis obstructionem aperire ait (quod omni dulcedini naturale est) sed lapidem in renibus ad hoc præparatis creare quoque dicit, potißimum si digestiuam debilem inuenerit. Hæc de dulci vino. Si vis & de nigro addam. PO. Propensius rogo: vix enim aliud magis in deliciis habeo. TH. Nigrum ergo vinum stomacho visceribúsque robur addit, maxime si aluus fluat. Ast ægrè cōcoquitur, Dioscoride attestāte: etiānum propter suam craßitiem tardius ebrietatem faciens: quam tamen factam, tardius quoque solubilem narrant. Non vsque adeò fugiendum, nisi decrepitis: quod Isac scribit, quibus nigram bilem multiplicat, oppilando renes, hepar, atque lienem: sunt tamen qui hoc vinum, senum lac nominăt,

Dulce vinū qualc.

Dulcia vētrem remolliunt.

Vinum nigrum quale. Lib. 5. c. 6.

quod eo tam auidè gaudent. P O. Arbitraris autem Theophraste, consimilem effectum hausti vini in qualibet hominis ætate? T H. Nequaquam, liberior enim vini potatio in iuuene, quod calidus sit & copiosi sanguinis, furiosum inducit habitum, in sene qui exanguis est & frigidus, naturæ quandam symmetriam atque aduersus senectutis acerbitatem, remedium. Diurius vir apprimè doctus, veteres ocreas oleo renouari scribit, sed corpora senum vini potu. Est enim vinum medium secundi calefacientium ordinis, admodum vetus tertii, mustum verò primi, Dissuadet nihilominus vini copiam Galenus senio confectis: dicit enim calorem eorum congelatum esse, & facilè à vini calore superandum, flammæ ritu quæ copia ligni exundante suffocatur: aut lucernæ modo, dum multo oleo superinfuso extinguitur. P O. Pueris autem vinum censes offerendum? T H. Non: calido enim & humido quod ex vino nãsciscimur, pueri qui prius calore & humiditate abundant, non opus habent, Galeno dicente. P O. Et sic Galenus matricularum renititur decreto, quod habet, statim infantulis, ne abstemii fiant & Clytorium degustasse videantur, ad mensam vinum apponendũ.

Vinũ nigrum lac senum.

Vinũ contra senectutẽ remedium.

Gal. 7. aphor. commento 7.

Vinum multum nocet senibus.

Vinũ pueros lædit.

De sanit. tuen. li. 1.

T H.

THE. Muliebre hoc est & nugatorium. Quamuis non omnes sic iubeant, sed pomposa tantum, quæ magnum quid, suos pueros vinum bibisse æstimãt, aliorum interim aquam bibentibus. Tu quæ clarissimus sacræ medicinæ antistes idem Galenus primo de sanitate tuenda scribat, attende. Vbi nemo, inquit, rationis compos vini potatione pueros vti sinat, quã (præterquàm quod nullum adfert commodum) immensum etiã sequitur incõmodum: fax enim vinum est, & filum oleo perfusum, stuppa siue pix. Licet & huius rei alium adducendum haberem eminentissimum medicæ scientiæ testẽ, Cordubensem principem, qui primo canone, fortassis ex Rasis vigesimo quinto continentis libro, hæc mutuata scribit. Pueris vinum si offeras, perinde est ac si igni aggere ignem perrexeris, materia præsertim debili succensa. Indicans vterque pueros insigniter vini haustu obledi, quum laxis & raris sint corporibus, ob insiti caloris exuperantiam facilè inflammari habiles, præsertim neruis eorum imbecillibus admodũ & cerebro inualido existentibus. PO. At si diaphanum impermixtum sed pauciferum, quod Græcorum lingua ὀλιγοφόρον dicitur, quòd multæ aquæ sit impatiens, offeras læ-

Vinũ fax est & filũ oleo perfusum & stuppa.

Auic. tert. fen. primi can doct. 2. cap. 8.

dit pari modo ſicut vehemẽs? TH. Nõ, ſed quia ſubtile ac in plures corporis partes diſſeminatiuum, id medici quoque tribuẽdum negant. PO. Dilutiuſculũ concedunt? TH. Minimè, quia ſtrictiores meatus ſubtiliatũ, aquæ acceßione penetrare, & cerebrum ſecundum ſuas cauernulas lædere poteſt. PO. Inde nimirum eſt quod ex œnopoliis vinum ſemper ferè inebriat. Rarò enim non aquæ mixtum inuenias. Sulphur hactenus male à me audiuit, in hoc enim omnem culpam reieci. Quomodo autem ſimul ſtabunt ea quæ nũc dixiſti, & Auicẽnæ verba? quæ ſic habent: Cerebrũ habẽs debile à vini potu abſtineat, aut parum bibat & mixtũ. TH. Exiguam intelligit mixturã Auicenna, non quæ vini ſubſtantiam ſubtiliare, & ebrietatem penetrando cauſare poßit. PO. Sic tamen mixturam pro ſanitate, concedit, ſi modica ſit? THE. Concedit, maximè huic (Galeno teſte) qui multum ſitit, quod dilutũ expeditius ſitim infringere queat, quàm aqua pura. Vinum enim adiuuat aquam, ad penetrandum ea loca quæ ſimplex aqua non poſſet. Vbi tamen id quoq; conſiderandum eſt, ne dilutum ſæpius is bibat, qui ſtomachum debilem habet & frigidum, quique viſcera diſcraſiata ſeu frigida. Nam dãnum

Cur vinũ ex œnopoliis inebriet.

Cerebrũ habẽs debile, à vini potu ſitalienis. Tertia primi.

Galen. de ſimp. med. diſtinct. 3. cap. 6.

Vinũ dilutum citius infringit ſitim, quàm aqua.

num accumulant damno, quod vinū aquosum naturaliter aquæ vicinum est, atque illius virtuti vicinatur, eodem Galeno attestante: id quod de acido vino quoque fertur. Nam ab aceto parū distare aiunt: sicut enim acetum stomachum & intestina vellicat, ita in acidam facultatem vinum degenerans. Qui fortioribus gaudent ventriculis, vino possunt vti lymphato, sed medicinæ loco (sicut aliquibus placet) sole æstuante, ac regione calida. Arnoldo autem doctore, prona diligentia curandum est sanitatem affectantibus, ne vini cum aqua permixtionem in mensa cùm iamiam bibēdum est, fieri concedant, sed sesqui horis antequàm discumbendum sit, ne in rugitus intestina decidāt, & stomachi suboriatur indigestio. PO. Tuum erit Theophraste (siquidē de vino, cedro digna hactenus es locutus) totum de hac re pensum absoluere. Dic igitur de herbaceo quid sentias vino, & primò in quem vsum absinthites vinum conferat. Est enim apud nostrates quasi populare & in omnium vsu. TH. Isthæc lampada Galeno tradam, qui hoc negocium verbertim in libro de Theriaca, expedit. Narrat enim quādam Arriam philosophiæ studiosam matronam, suasu suo, à stomachi dissolutione

Gal. aph. lib. 2. comment. 11.

Vinū acidū quale.

Quando vinum diluendum.

Ad quid vinum de absinthio.

solutione & atrophia, saltem vsu istius vini, liberatam. Licet alibi quoque literis demandatum inuenias, istud cunctam putredinis mineram expurgare, atque oppilationibus tam hepatis quàm lienis mederi, visum clarificare, veneníque ceu præsentissimum obsistere beZoar.

Vinum de rore marino quale.

Tamen vinum de rore marino excellẽtius puto, quemuis enim morbum ex algore rectificat, prostratam reducit appetentiam, laxos redintegrat neruos, capillorum casum prohibet, atram fugat bilem, & morbos ex ea progenitos, phthisicis & marasmatis mirum in modum prodest: atque sicut absynthites vinum, omnibus quoque venenis resistit. P O. Saluiatum quoque reges amant, & hoc quanti

Ad quæ vinum de saluia.

ducas ede. T H. Neruis profectò, & cuiuis membro ex neruis cõtexto valet saluiatum vinum. Gingiuis laxis duritiem reparat. Cor stomachi & eius digestiuam roborat, & muliebria ducit: tamen quia in nulla re

Naturæ dispẽsatio nõ ex omni parte perfecta.

tam æqua & certa bonorum dispensatione natura vsa est, vt non liceat, vires eius & latebras diligenter excutientibus, vtilibus mixta inutilia, & beneficiis noxia passim inuenire congregata: ideo huius vini com-

Vini saluiati incõmoda.

modis (licet nobile sit & salutare) incommoda immiscuit. Si quis enim largius in

mensa

mensa ex eo libat, omnem cibum ingestum, ante perfectam concoctionem ex ventriculo educit, & oppilationẽ putredinis matrẽ, causat, quia diureticum est valde, propter quod imprægnatis medici exhibendum dissuadent, aborsum timentes. P O. Ergo pari edicto ab enulato abstinendum est illis? Nã menses ducere, fœtúmque expellere Dioscorides elenion, hoc est inulam testatur campanã. T H. Recte Polyloge, sed in eo quoq; non est mãca ex omni parte natura: pectus enim superfluo repletum humido expurgat, ventriculum nimia frigiditate languentem digestioni habilem reddit, renes à sabulo vindicat, & oculos multũ clarificat. Quãuis ex eufragia vinum inulatum, in hac re longè latéque (sicut dicitur) vincit. Nam vsu istius vini cæcos aliquando visum recepisse, Narbonensis medicus scribit. Cui quod ex fœniculo præparatur, simile habetur, pari enim modo visum clarificat, & reducit. Sed & semen genitale auget, vnde senibus defectum habentibus conducibile iudicatur. Nephriticis confert, quia renes harena liberat, atque (quod maximum est) hepatis & splenis obstructiones aperit. P O. Ex scolopendria nuper bibi vinum non admodum insuaue. T H. Hoc lie-

Diosco. li. 1. cap. 27.

Vinum de enula.

De vino eufragiato.

Vinum de fœniculo habetur apud Dioscolib. 5.

Vinum de scolopẽd. & ligno tamarisci.

nis sicut ex tamarisci lignis paratum, soluit tumorem. P O. Sed auctarii vice (nam amplius quærẽdo te impedire videtur religio) vini de vetonica deprome valorem. T H. Supersunt varia de plãtis & herbis adhuc vini genera. Sed podagricum nunc quendam inuisere statui: tamen vt petiti compotem te reddam, cerebri substantiam hoc vinum de vetonica roborare scito. Et istis qui venenum gustauerunt auxiliari, Dioscoride referente. P O. Sat habeo. Quem autem vises podagricum? T H. Fratrem meũ. P O. Fratri certè condoleo. Est enim bellus homo & summus mihi amicus. Absit igitur quod amplius tuum abitum impediam. faxit deus Opt. Max. vt dexter illi compareat Aesculapius. Abi igitur, cras te reuisam, nunc vale.

Vinum de vetonica ad quid.

Lib. 5. ca. 38.

ARGVMENTVM *quarti dialogi.*

Exercitii & quietis pro sanitate conseruanda, rationem habendam.

POLYL. THEOPHRAST.

INsolens est Theophraste quod video. T H. Quódnam? P O. Absque libris ad

Eurotam

Eurotam te domi ſedentem. TH. *Ergo me ocioſum arbitraris?* PO. *Rem acu tetigiſti.* TH. *At Solone curioſior negocia tracto, nō ocium.* PO. *Quæ nam?* TH. *Cum fratre meo nuper fui podagrico, qui ſine Phalaridis tauro, ex dolore mugitū edit: huic qualiter ſuccurrendum, meditor: nam intolerabile malum podagra.* PO. *Et immedicabile.* TH. *Oportet tamen crudelem hunc cruciatum, anodynis, ne ad reſtim patiens confugiat, lenire.* PO. *Sed vnde fratri tanta oboritur tyrannis? hanc fortaßis à parentibus contraxit, aut à prima ſuæ natiuitatis craſi? tam rara habens membra ad lapſum prona.* TH. *Non, ſed à ſex rerum non naturalium neglecta ratione. Quod enim aeris inter omnes præfatarū rerum primas tenentis, ſibi iudicium præſcribat, tutè noviſti potißimum, quando ſterquiliniis & peßimis fœtoribus infectum, æquè ſalubrem & exoptandum iudicet aerem, ac mūdum, clarum, & odore ſuauem. Quem item in cibo & potu, ſecundæ rei delectum habeat, vel lippis compareat, dum vel cicutæ vel bugloſſæ cibis adaptandis vnam qualitatē ineſſe prædicet. Quos denique motus ſiue exercitii & quietis tertiæ rei, canones obſeruet, in dies quicunque illi conuixerit, animaduertet.*

maduertet. P O. Sunt motus & quietis bonæ valetudinis ratione canones: aliqui tenendi? T H. Proculdubio, nam sine istis (Galeno scribente) non est poßibile hominem diu perfrui sanitate prosperrima sex enim rerum quas supra nominauimus, tertiũ locũ occupãt. P O. Ostende ergo si de hac re tertia aliquid habeas. T H. Ostendam rectè: sed hoc prius addam, nisi harum iusta obseruetur ratio, quod non solum podagricus vehemens ille dolor, sed omnium morborum quoque succrescet lerna, sicut & multiiuga id doctorum cõprobant scripta, & diurnus manifestat euẽtus. Nam velut aquam hinc inde fluidam, non putridam fieri notamus, sed lacunalem siue stantem: ita quoque corpora exercitata, nulla putredinis noxa oblædi deprehendimus, sed ociosa peßimis morbis, & iustè turbari, iuxta illud Nasonis:

Aqua fluida nõ admittit putredinem.

Ouid. lib. 1. de põto.

Cernis vt ignauũ corrũpant ocia corpus,
Vt capiant vitium ni moueãtur aquæ.

Motus calorẽ excitat naturalem.

Motus etenim tempore suo factus, calorem expergefacit natiuũ, & sic auget vt superflua quæq; corporis vel per pharmaca vel per phlebotomiam ableganda, per diaphoresim consumat, cunctas salubri stimulo virtutes in corpore roborando. P O. Suo tempore, inquis, dic igitur exercitii tempus habile.

bile. TH. Si cibus ingestus duabus perfe-
ctè decoctus sit digestionibus, in ventre sci- Quod tē-
licet, & vasis hepatis, id tēpus habile du- pus motui
co. PO. Si quis autem lapsum in hoc com- cōueniat.
mittat, & citius se exerceat, quid tū? TH.
Quid tum? Is crudos per mēbra succos ma-
nare facit, & oppilationes plātat, quæ fe-
brium sunt causa. PO. Sed vnde illas dige- Opilatio-
stiones celebratas cognoscam? TH. A lotio, nes febriū
quòd si citrinum fuerit, tempus exercitii in- causa.
stat, licet & temporū habenda sit ratio, sic,
quòd verno tempore iuxta meridiē, in loco
saltem temperato fiat exercitium, in æstate Exercitiū
sesqui horis ante meridiem, Ne tamen Sy- requirit
rius ardor sitim morbósque ferat, Mortali- temporis
bus ægris. In hyeme autem post meridiem, respectū.
loco prius ignis beneficio tepefacto, ne quid Virg. 10.
frigoris oblædat iniuria. Id quod ab Anto- Aeneid.
nino imperatore Romano, nonnihil obser- Galenus
uatum ex Galeno colligimus, qui breuissi- lib. 6. re-
mis diebus, sole occidente palæstram (lon- gim. sani.
gissimis autem, hora nona vel decima, sani-
tatem considerans) ingrediebatur. Nihilo-
minus tamen animaduertendū, æstate sub-
tilius, hyeme verò crassius exercitii genus
conuenire: vt ne altero tēpore corpus nimiū
exoluatur, altero verò calor ab internis mē-
bris exeratur ad externa. PO. Oībus au-
tem

Malis humoribus repleti se non exerceant.

tem similis exercendi datur libertas? TH. Nō: quibus enim corpora sunt cacochymica (sicut medici vocant) nullo tempore se exerceãt. PO. Ergo in perpetuo degẽt ocio? TH. Non, sed prius laborent, pro malorum humorum eductione. Quemadmodũ enim mordacissimi canes cùm dormiunt, nõ sunt irritãdi, sic mali humores quoque per exercitium non sunt commouendi: nam moti & alterati in angustis ductibus facilè putrescunt & aliquam ægritudinem faciũt, sicut dilucidè in tertio aphorismorum Galenus declarat. Et Auicenna tertia primi, his verbis ostẽdit, Hora, inquit, qua inceptio exercitii præparatur, oportet vt corpus sit mundum, & ne in partibus intraneorũ & venarum chymi syluestres & mali existant, quos exercitium in corpore diffundat. PO. Quale ego corpus habeam rarissimè considero, sed dietim ferè, absque vlla humorum consideratione, in viridario meo, vel arbores aut vites puto, seu herbas decerpo, aut in agello paterno terram proscindo, seu glebas effringo, vel iacto semine boues lyrandum stimulo, aut aliud huiusmodi tracto, ne ociosus sim. TH. Habet domus tua in propinquo hortulum? PO. Aedibus contiguũ. TH. Ergo tibi macellũ habes: hortus enim

Gal. lib. 3. aph. comment. 20.

Auic. tertia primi doct. 2. c. 3.

pauperis est macellum: domúsque sine horto, quamuis amœnissima, non est domus, sed ergastulum, & carcer multum tenebricosus, præsertim quum in eo, loco exercitii, post sedentarium vel publici vel priuati negocii, laborem, libellis aut pueris comitibus, spaciari impendio & deambulare possimus. Sed ante prandium hortos visitas? POL. *Maximè.* TH. *Rectè quidem: nam quemadmodum leue ante cibum, digestionem cōfortat exercitium, & sanitatem conseruat: sic post cibum stare, vtile est, aut modicum deambulare, donec cibus ad fundum stomachi, vbi digestio perficitur, descēdat.* PO. *Ego talia non ad viuum reseco, sed frequenter post cibum quoque, arrepto caballo, si horto meo vel agello non intersim, villam aut proximum nemus, domesticis negociis intentus, visito.* TH. *Sinistrè.* PO. *Quare?* TH. *Etenim cibus in stomacho hinc inde fluctuat equitando, & antequàm fundum attingat, corrumpitur, quod stādo aut molliter incedendo non fit: sicut ex his Galeni quoque verbis comprobatur, dum inquit, Quiete & somno optima perficitur digestio.* PO. *Ergo & quies sanitati proficua?* THE. *Et sic proficua, vt si quis calidæ & siccæ complexionis, hoc est cholericæ (illis enim*

Hortus pauperis est macellum.

Domus sine horto ergastulū.

Post cibū stare, vtile.

Statim à cibo equitare, malum.

Lib. 7. de inge. sani. Auicen. 2. parte cāt. commēto 45.

enim forte non conuenit exercitium, Auicẽna referente, qui in illis dissolutionẽ timet) per exercitium intempestiuè factum, sanitatem amiserit: per quietem hanc recipiat, eodem Auicenna autore. Nisi maiorem fidẽ Nasoni habeamus, apud quem Phædra ad Hippolytum sic loquitur:

Secunda fen. prim. doct. 2.

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessáque membra iuuat.

PO. Sed quid, assueto exercitio, non potentibus vti faciendum suades? TH. Vt molli extremarum partium fricatione vtantur, vel cum pãno durioris lanæ, vel volis manuum, secundum quod corporis dispositio exigit: supplet enim fricatio, exercitium. Nisi equitationem, quam stomacho & coxis vtilem Plinius scribit, plus diligant: aut nauigationem, quæ phthisicis confert: seu lectos pensiles, aut gestationes vehiculorũ, Asclepiadis inuenta: vel balneum, quod similiter species exercitii est non vulgaris. PO. Quale intelligis balneum? Nam tria genera medicis vsitata inuenio. TH. Parum refert siue aereum sit in vacua piscina pannis velata, seu igneum ex lapidibus ignitis, aut scoria ferri, siue furno apparatum,

Fricatio supplet exercitiũ. Gal. li. 9. sphæræ.

Balneum species exercitii.

Balnei tria genera.

tum, vel aqueum in tina (quod dicitur) ex dulci vel minerali aqua concinnatum, modò non sinistrè eo vtamur. Siquidem corpora exoptantes obæsiora, à prandio quum secunda digestio ferè perfecta est, balneandum se accingãt, nisi timor oppilationis incumbat, quod plerunque istis euenire solet, qui corpora habent impura, sicut Rases docet, quarto ad Almansorem, capite decimo octauo. Qui verò pingues, macriora, ieiuni balneum accedant. PO. At ego neque satur neque ieiunus balneum suffero. Nam ingressus statim ventriculi cor obledi conqueror. TH. Ex lapsu nimirum rubeæ bilis ad eum locum. Rem igitur acescentem & subtilem, ante ingressum sumite sicut est rob fructuum, aut panis in aceto, vel aqua rosacea madefactus. PO. Si isthæc sitim lenirent, facilè tuis acquiescerem dictis. Nam à balneo (quãuis spoliarium vix à limine salutem) ægrè bibendi me desiderium laniat.

Quando balneandum expetentibus corpora obæsiora.

TH. A balneo nihil deterius potu, si quis absque mora hauserit, maximè frigidã. Timor etenim est, ne actualis illa frigiditas, ad nobiliora pertingat membra, ipsorumq; virtutes corrumpat, & necis repẽtinæ causam ingerat. Quãuis & calidã in potẽtia, pari modo damnat Cordubensis princeps, 2.cap.5.

A balneo aqua frigida nocet. Auicẽ. secunda primi doct.

quòd

Quibus in tina balneandum.

quòd principalia inflammare poßit, & phthisim vel hecticæ causam generare queat. PO. Melius aqueum in tina balneum suffero, si non calore ferueat nimium, & in tempore exeam. TH. Hoc quidem omnibus qui vel æquitando, vel hincinde cursitando aut alio defatigantur labore, conuenit. Nam aereum in vacua stupha, magis ociosis & crapula deditis prodesse nouimus. Tamen ab vtroque catarrhosi, ex calore feßi, capitis grauedine laborantes, aut calore febrili tormentati, caueant, ne amplius lædantur. POL. Scitè philosophari Theophraste. Sed auctarii loco quid de balneo actu frigido sentias, superaddere velis precor. Nostrates enim, potißimum nobiles, astro flagrante Syrio, pueros suos balneandum ad proximum flumen ducunt, quibus ferè nihil subscribo. TH. Neque Theophrastus calculũ illis addet. Si enim corpus balneantis exile fuerit & paucæ carnis, frigus actuale in profundo immergitur, ipsúmque refrigerat, adeò vt nobilia denuò lædantur membra, calórque naturalis coaguletur, & torpor qualis hyeme serpentibus euenit, suboriatur. Iuueni tamen, Hali autoritate fretus, bene carnoso & forti, in æstate sic balneasse, condonarim. Scribit enim quinto

De balneo actu frigido.

Capit. 13.

Theoricæ,

Theoricæ, actuale hoc frigus per accidens in tali digestionem, calorē naturalem, virtutésque membrorum egregie roborando, adiuuare. P O. Et aquam ex sole calefactā philosophus nociuam scribit balneantibus. T H. Propter calorem fortaßis debilem quē tepidum vel obtusum vocăt. Cuius proprium est mollificare & resoluere virtutem, Galeno scribente & Auicēna. P O. Si tanta balneorum pro sanitate conseruanda est ratio Theophraste, aureo certè piscantur hamo, qui sanitatis gratia thermas ingrediuntur, omnigenis deliciarum lenocinijs vocati, vbi pluris deliciosam habent crapulā & quasuis Aesopi patinas, quàm vel aquarum iustam temperiem, vel rectum balneandi ordinem. T H. Imò vētos reti captant aureo, dum optimam, qua multis annis frui licuisset, corporis habitudinem, momētaneis voluptatum permutăt lenocinijs, in ipsis piscinis seu fontibus, cōtra omnium medicorum decreta, ventrem cupediis & popinarijs ita satiătes lautitijs, vt planè quisque iudicet, pulchrum illis videri, in ipsa quoque meridie, Lydorum ritu, turpißimè Lesbiari. P O. Quid habent medicorum leges, ne in ipsis aquis sedentes vel cibo vel potu curemus cuticulam? T H. Maximè, quum bonă inde stomachi

24. Problem. 14.
An aqua ex sole calefacta noxia.
Gal. 7. de inge. sani.
Auicen. quarta 1.
Quàm periculosum voluptatis causa thermas ingredi.
In ipsis aquis non comedendum neque bibēdum.

stomachi

stomachi sciant oblædi concoctionem: id quod etiam ex somno, pari modo celebrato euenire narrant. Nam inde conflictum quendam naturæ fieri testantur, dum extraneus calor aquæ, natiuum calorem balneantis, ad extrema trahit, quem somnus ad interiora vocat. PO. Scitè disputas Theophraste: sed dic quale faciunt stomachi naufragiũ, qui vxores steriles ad thermas mittunt, ipsis domi coclearem vitam degentibus, vt posthac prolis sint habiles, ne vel generis stemma, vel bonorum suorũ pereat substantia? TH. Non faciunt naufragium, sed quod deuotissimè à deo Opt. Max. precantur, impetrant: dum enim medicorum iussu statim à thermis vxoribus domum regressis in prima nocte, magna cũ reuerentia eas amplectuntur, vix mense eo lapso ventres tumidos satis deliciose notãt. PO. Magna vis profectò thermarũ: sed aliud subest huic fabulæ, quòd maritos posthac male habet. TH. Quódnam? PO. Familiæ incuria, frequenter enim timent, ne grauidæ famularum excãdescant negligẽtiis, & aborsus contingat: quàm enim grauidis ira res sit nociua, ipse nouisti. TH. Noui: noui & quendam aliquando mihi vicinum, qui vxorem nuper à balneo reducem,

Notantur qui vxores steriles ad thermas mittunt.

Ira grauidis nociua.

ducem, atque vi aquarum grauidam, à mẽsa surgere non sinebat, nisi ipse suis brachiis eam subleuasset, quam deinde aut lento gradu, ceu Iunonis circumferret sacra, de loco ad locum portabat, aut euntem summis pedum digitulis, sub alis molliter ducebat: quæ si icta modicum à pulice vel musca, ipsum, nisi fleret, crinibus trahens, pedibus calcabat, si nõ ædibus quoque exclusum per octiduum esurire faciebat. PO. Credis autem thermarum vi aliquas posse imprægnari? TH. Sic credo, vt quasdam non posse quoque credam, nisi mediis accedẽtibus. PO. Alumine fortaßis, cupro, aut plũbo. TH. Non, sed auro, & sulphure viuo. PO. Nimirum & argento viuo: quid enim velis, intelligo. TH. Id quod res est intelligis, auro quippe & argento deos (taceam mulieres) oppugnari, iuxta illud Pythii Apollinis ad Philippum regẽ oraculum, Argenteis pugnandum hastis, vt omnia vincas. PO. In thermis auri & argenti ad hãc rem nulla est penuria, quoniã proci & alii pyratæ in hoc vigilant, vt cùm aliorum vxoribus Samios colligant flores, minimum de sumptu cogitantes: sed quid de thermarum sentias mineris, ediscere: nã scis tu pulchra videntur? TH. Id alio tempore

Argenteis pugnandum telis vt vincas.

rectius potero. Tamen auctarium hoc addam, ne penitus tale negocium nõ tractasse videar, Aquam ab ære fluentem, vim obtinere calidam, quippe & siccam, suæ mineræ, trahit enim commixtionem suam à sulphure, cupro, & argento viuo: quæ vnita morbis affatim medentur frigidis & humidis, capiti fluenti, oculis lippientibus, auriũ tinnitui, articulorum doloribus, podagræ, asthmati, & renibus affectis. Sũmopere tamen cauendum est, ne ex ære vasis vtamur. Nam istis qui vsum continuant, elephantiasim, cancrum, dolorem hepatis, & splenis tumorem inducunt, potissimum si ex illis res sumant acres, quæ diu in illis cõseruatæ steterint, aut vinum dulce. Sicut nec id probatur, si pisces calidi per noctem æreo tegantur cooperculo: nam in præsentissimum inde conuertuntur venenum, Sauonerola teste: cui non aliud reperibile bezoar est, quàm vel allium crudum, vel puluis calamenti, aut species diatrion pipereon, seu diacyminum cum vino odorifero, enemate præcedente carminatiuo, vẽtre vncto cum oleo rutaceo. Sed dormiturio nunc, vnde cubitum videtur eundum. Nisi enim somni iustum tempus adimpleam, postera die ex capite laboro. POL. Vale igitur, cras in-

Aquæ fluẽtis à sulphur. cũ pro & argẽto viuo qualitas. Auicẽ. secũda primi, doct. 2. summa. 1. cap. 19.

Vasis non vtendum æreis pro culina.

Pisces nõ integendi æreo cooperculo.

Contra esum pisciũ venenosorum.

stum

ſtum dormiendi tempus, rogatus deſcribes. TH. Vtcunque voles pro voto, nunc abeo, tu iterum vale.

ARGVMENTVM quinti dialogi.

Circa ſomnum & vigiliam, quartam rem non naturalem, pro ſanitate, habendam conſiderationem.

POLYLO. THEOPHRA.

OPto tibi bonum diem ex pharetra Theophraſte. TH. Vt me ſalutas, ſic te reſaluto. PO. Gratias ago: ſed dic cur diē non expectās, tam mane in crepuſculo ſurgas, nimirum, ceu rem inſalubrem abominaris ſomnum? TH. Non: ſed pro ſanitate, ſi modus ſit, optimam arbitror: quemadmodum & vigilias non dānandas iudicarim, ſi decens earum ſit vſus. PO. Ergo circa iſtæc quædam conſideratio habenda eſt? TH. Proculdubio: ſicut enim ſomnus, quem poeta conſanguineum leti ſoporem vocat, non ad ſufficiens temporis ſpacium factus, in ſanitatis area lædit, ita prolixior quoq; damno eſt, & impedit: iuxta illud Hippo- Libro 7. Aeneid.

 cratis,

2. Aphoris. 3. cratis, Somnus & vigilia, vtrum horum, si modum excesserit, malum: quia Galeno dicente, defectus & abundantia ad easdem perducunt differentias. PO. Nimirum igi-

Libro 3. techni. tur somno & vigiliis decenter factis, tot commoda inesse concedes, quot incommoda, opposito modo se habentibus. Est enim oppositorum eadem ratio, si philosopho credimus. TH. Certè: defectionē nanque spirituū somnus temperatus vel peruehemēs, vel inconsuetū exercitiū factā, sic reddit in

Somnus quid. integrū, vt corpus magis efficiatur viuax, ac πνευματώδεις: quum somnus aliud nihil sit, quàm reditus spirituū ad interiora, qui

Pli. li. 10. cap. 75. se rursus per vigilias exerunt. Quod Plinius etiamnū vno fasce complectitur, quū

Locorum comm. li. 5. cap. 24. inquit, Somnus est recessus animi in seipsum. Licet Constantinus apertius quid scribat, Et somnum virtutis resolutæ restaurationem, & defatigati corporis, ac sensuum requiem & refocillationem appellitet, quæ calorem genuinum, qui operatur circa ma-

Theoricæ 5. th. 25. teriam nutrimenti, intrinsecus roborare, & digerendum habilem reddere queat. Hali

Gale. lib. septimo, de ingen. sanit. abbas neque diuersum agit, digestionis enim bonitatem, & humorum decoctionem somno temperato, Galeno sibi astipulante, concedit. Quibus Aegineta Galeni abbreuiator,

uiator, suffragatur, dicens, Si quis recte somno indulserit, multa emolumẽta sibi vẽdicat, bonam videlicet digestionẽ, dolorum mitigationẽ, lassationis solamen, animi ægritudinũ obliuionem, tabidi corporis saginationem, animi confortationẽ, & mentis clarificationẽ. PO. Sed vigiliarum tẽpestiuè factarum etiam deprome cõmoda. TH. Auicennam audi Polyloge, qui vigilias sensus excitare, & vires disponere ad exercẽdum operationes suas, appetitúmque diminutum resuscitare attestatur, & sic, vt corpus à fecũ quoque saburra exoneret, atque virtutes operationũ insignia, tali modo dirigat, vt vix aliud melius poßit. PO. Incidimus Theophraste somni mentionẽ, quem nunc primum temperatum dixisti: dic ergo quem arbitraris temperatum? Complures enim si in medium diem in plumis stertãt, aures arrigunt, pulchréque sibi applaudũt, velut rectum dormiendi scopum, quem nemo alius quisquam poßit rectius assequi, attigerint. TH. Isti fortaßis crapulam edormiscunt triduanam. Sed quemadmodũ ferina illorum, & latrinalis inglunies, nemini quàm porcis, qui ex horũ bis comestis tertiò voluptuãtur, placere potest: sic etiam delicatus illorum somnus, quem cum gliribus

Aeginet. de remed. lib. I. cap. 97.

Prima parte cãt. commen. 141.

Vigiliar ũ cõmoda.

Crapulosorum ingluuies latrinalis dicta & ferina.

bus communem habēt, nemini quàm vappis, lurconibus, cruciariis, helluonibus, & diaboli probatur luſciniis: alias enim nullas habet luſcinias diabolus, quàm bouinatores illos qui in multam noctē, indecoro incompoſitóque cantu, aut non cantu, rugitu potius aſinorum Arcadicorum more, inter pocula clamare conſueuerunt. Alius enim ſomni tēperati gnomon, & alia regula eſt.

Qui diaboli dicātur luſciniæ.

P O. Hāc ergo enarra Theophraſte. T H. Quamuis non amuſſatim limitari hæc poteſt Polyloge, ob diuerſas rationes. Id tamē certò nouimus ſomnum ad completam perfectionem primæ vel etiam ſecundæ digeſtionis continuandum, & naturalem vocari. Sed is in diuerſis complexionibus, diuerſimodam temporis requirit rationem. Nam qui à cōſtitutione naturali, habitudinis calidæ ſunt, & humidæ, ventriculíque digeſtionis benignioris, cibos ſumentes in quantitate non grauantes, ſomnum breuiorem expetūt, & ferè medicorum calculo ſeptem horis dimetitum. Sed qui habitudinis frigidæ ſunt & humidæ, tardioris concoctionis, cibos ſumentes ingluuioſe, coquendum inobedientes, longiorem, & quaſi nouem aut decem horis calculatum. Qui verò medium tenent, mediocri opus habent ſomno.

Somnus naturalis.

Secūdum cōplexiones prolōgatur vel rendū abbreuiatur ſomnus.

Dormiendo cōſiderādæ virtutes animales.

Quamuis

Quamuis & virtutum animalium, consi-
deranda sit defatigatio. Ea nāque si fuerit
maior, longiori somno indiget. Si breuior
breuiori, & noctu tātum: nam somnū diur-
num hactenus nemo probauit, quod inde
Auicenna scribente, destillationes à capite
veniant, corruptio coloris, aggrauatio sple-
nis, remollitio neruorum, ad res agendas tæ-
dium, prostratus appetitus, apostematum
generatio, febres, & alia sexcenta, iam non
enumeranda. Tempore Hippocratis, vt Li.2. pro-
patet secundo Prognosticorum, quoque il- gno. com.
laudabilis fuit, meridie factus: nam saltem II.
dicebant naturalem qui noctem non effu-
geret, & diem non impediret. Ast Galeni
tempore cœperunt magnates & diuites co-
mam violare, & dormiendi plantare con-
suetudinem, quam tempore moderno quin-
que conditionibus obseruatis Auicenna si- Auic. secū
gillauit, quippe, vt qui dormire assueuerit, da primi
non illico super cibum dormiat, non capite doct.2. ca
depresso, non tempore prolixo, cui experge- pite 7.
factio succedat, non stupenda aut repenti- Conditio-
na, sed lenis, quibus adiiciendum videtur nes in som
vt dormiens locum eligat, non calidum no meri-
aut vaporosum, sed temperatum vel pa- diano ser-
rum frigidum, corpúsque pro temporis qua- uandæ
litate, conuenienter tegat, vt calor natura- quinque.
lis

lis redire ad interiora non formidet, neque membra extrema mortificentur, quia in his duobus multum continetur bonitas tertiæ digestionis, stomachi quidem, hepatis, & membrorum. PO. *Sed cur non illico super cibum Auicenna dormiendũ scribit? quum somni tempore digestionem fieri Galenus doceat perfectiorem quàm vigiliarũ, sicut antea dixisti, quando interrogaueram vtrum in cœna vel prandio vberior conueniret cibus?* TH. *Quia à cibo tardandus est somnus, donec ab ore ventriculi ad fundum cibus descenderit, ne rugitus intestinorum sequantur inflationes & tormina.*

Cur non illico super cibũ dormiendum.

PO. *Aptè respondes Theophraste, vnum autem superest relatu non indignum.* TH. *Quod nam?* PO. *An quid referat pedibus dormire calceatis. Nam quendam medicinæ vidi studiosum, qui nisi pedibus esset apertis, se quieti nunquam dabat.* TH. *Multum certe. Nam somnus aliter factus, visum mutilat, memoriam lædit, totúmque corpus calore facit æstuare extraneo.*

Discalceatis pedibus dormiendũ.

PO. *Id Herclè parum consideraui hactenus: nam per omnem hyemem vestitis obdormiui pedibus, frigoris timens iniuriam, capite plerumque depresso & etiam nudo.* TH. *vtramque malum. Nam caput,*

rationis

rationis omniúmque operationum conclaue, alto puluinari subiiciendum erat, ne cibus iterum ad cor stomachi regurgitare, & concoctionem impedire posset. Decentique velamine tegendum, cui foramen in medio ceu fumibulum, eleuatis vaporibus eiiciendis adornatum, maximè tamen rasum, suo honestamento & commodo denudatum, quale tu habes. PO. Opinaris aliquod capiti meo per tonsuram ablegatum commodum? TH. Opinor certè. Non enim est quòd credas naturã aliquid fecisse in cassum, multo minus capillos, homini ornamẽtum & membro nobiliori cerebro, quippe defensorium. PO. Sed Aristotelem scripsisse memini, eos qui densam habeant cæsariẽ, & duplici caput muniant tegumento, prõptius canescere. TH. Pro temporis igitur modo se tegant isti, æstate leuius, hyeme crassius, vt capillos seruare queãt. PO. Nocet admodũ capitis exquisita rasura? TH. Tute considera quantum capitis substantiã rarefaciat, quod inde perspicis, dũ posthac vberior multo sequitur pilorũ fœcunditas. PO. Et quid est etiam si rasura poros aperiat? TH. Quid? prõptius tale caput omnibus iniuriis obuiũ est quæ exterius occurrunt. Exemplo quoque sunt conualescentes,

Capilli defensoriũ cerebri.

Capillos multũ tegẽtes citò canescũt.

Exquisita capitis rasura nocet.

qui

qui non ob aliam causam sæpius recidiuam incidunt. Tamensi prophana sacris inserere liceret, Samsonem huius rei testem adducerem qui deraso capite vires amiserat, quas comatus quoque receperat. Euidens specimen capillos naturam homini studiose pro commodo elargitam, atque vsum pilei, omnibus quibus capillorũ tegumentum non sufficeret solerter, ne quid noxæ incresceret, indicasse. PO. En, à via nos seduxit illa rasura, redeamus in eam. Et decubitus veram delinea formam. Sunt enim qui primum somnum supra dextrum latus fieri iubeant, sunt & qui supra sinistrũ: in hac re Apollo mihi eris. TH. Primum decubitum in dextro latere auspicandum magnis autoribus consentio, vt hepar stomachum digestioni fortiorem calefaciendo præparet. Et secundum in sinistro, vt superiectione hepatis, concoctio adiuuetur, tamen hunc breuiorem velim. Nam inde in dextro latere continuandus est, propter dispositionem naturalem stomachi, quæ est, vt fundus, vbi floret totius digestionis valor, & portanarium (vt vocant) ad hoc latus declinent, & necessario cibum à ventriculo educant. Quanquam & supra ventrem, pronus decubitus quibusdam conueniat, dum propter membra

Samson rasis capillis vires amisit. Iudicũ cap.16.

Forma decubitus optima.

Pronus decubitus qualis.

mẽbra vicina, ad ſtomachum fit caloris reuerberatio. Sed corporibus temperatis eſt contrarius, quòd cõtorſionem & repreſsionem inducat, atque oculos obtundat. Reſupinus nemini proficuus eſt, dũ grauiſsimorum morborum occaſionem præbet, propter fluorem ſuperfluitatum, quæ labuntur ad poſteriora, & iuſtam tranſpiratione͂ ad nares & palatum prohibent. Quemadmodũ aperto ore celebratum, æquali ferè lance trutinant ſomnum, quod pulmonem denigrare aiunt. Tamen, vt tribus (quod aiũt) verbis eloquar, ſummopere cauendum eſt, ne de vno latere in aliud ſæpe reuolutio fiat. Nam inde tardatur digeſtio. Raſis teſtimonio, quarto ad Almanſorem, tertio capite, rugitus fit inteſtinorum & inflatio. Nõ omiſſa conſideratione, in quacunque ſomni diſpoſitione, corpus pro aeris eſſentia contegendum: demigrat enim calor genuinus dormientis ad interiora digerendum, atque exteriora membra calore & ſpiritu denudantur, eóque leuius apta ſunt à frigore oblædi. Sed (niſi aliter cenſeas) huic quartæ rei manum addemus extremam, vt ad quintam pateat tranſitus.

Reſupinus decubitus.

Non dormiendum aperto ore.

Somni tẽpore corpus tegẽdum.

PO. Placet Theophraſte: quintam igitur exordire, & dic quæ ſit.

ARGV-

ARGVMENTVM *sexti dialogi.*

Quomodo certa methodo sanitatem tueri valeamus, quantum ad inanitionis & repletionis quintæ rei non naturalis, contemplationem.

POLYLOG. THEOPH.

ROgo Theophraste, id quod promisisti, ne amplius differas: quàm enim turpe sit nõ stare promissis, ipse nouisti. TH. Noui, sed hactenus ferè nihil promissorum neglexi, quamuis aliquando Carem fuisse, in Cretensem casus obtulerit. Dic autem quid promiserim? PO. Quintam rem enarraturum, earum quas à principio dixisti rerum. TH. Non grauabor: inanitio enim est, & repletio. PO. Et hanc quintam rem ducis ad bonam valetudinem vtilem? TH. Imò necessariam, quantum enim lædat bonam corporis habitudinem, stomacho multum famelico cibũ subtrahere, vel cæci videant. Quantum item fastidiose repleto cibum offerre, dum primũ malis humoribus stomachum repleat & superfluitatũ lacunã efficiat. Secundũ verò corpus plethoricũ generet, & oppilationẽ, vnde putrefactio, & febres

Quinta res nõ naturalis, repletio, inanitio.

Famẽ diu tolerare nocet.

& febres oriũtur, inducat. Tamẽ si natura ducimur, quam Galenus rerum vocat opificem, isthæc parum hoc loci commemoranda venient. Nam certißimum habebimus nobiscum tam repletionis quàm inanitionis gnomonem. PO. Quem? TH. Virtutes, quas medici naturales vocant. PO. Quæ sunt autẽ? TH. Attractiua, Retentiua, Alteratrix, & Expulsiua. PO. Quomodo hæ poßũt esse gnomõ? TH. Quoniã si duæ priores, rectè suo fungantur officio, non aliqua poterit oboriri nocẽs repletio. Si posteriores, itẽ. Alteratrix quippe & Expulsiua genuinũ habeant robur, similiter non oritur lædens inanitio. Nã modo quo oportet, à suis oneribus & superfluitatibus euacuabitur corpus. PO. At si hæ virtutes sic læsæ sint, vt iusta repletione corpus nõ nutriri, nec debita inanitione euacuari poßit, quid tũ agẽdũ? ne mala valetudo sequatur? TH. Curãdum quomodo aut nimia inanitio sistatur, aut nimia repletio vel prohibeatur, vel euacuetur, siue per vomitũ fiat, ventris fluxũ, venæ incisionẽ, fluxum sanguinis narium, scarificationẽ, appositionem sanguisugarũ, siue per ea quæ præfatarum vices supplẽt, sicut est exercitium, labor, fricatio, balneum somnus, pedum & capitis lotio. PO.

Gale. de morb. curand. li. 3.

Virtutes naturales gnomon repletionis & inanitionis.

Si virtutes naturales læsæ, quid agẽdum.

Ergo

Vomitus quãdoque sanitatis ansa.

Ergo vomitum aliquando sanitatis ansam innuis? TH. Certè, à materiebus enim humoralibus, quas expulsiua sequestrare non potuit, stomachum liberat, sicut Auicennæ placet, qui bis fieri in mense continuis duobus diebus vomitum ex autoritate Hippocratis iubet, nimirum vt secundus dies prioris vomitus reliquias extrudat. PO. Sunt qui singulis diebus, crapula se leuãtes, euomãt. TH. Hos cynocephalos rectè dixeris, dum canum instar, ter comesta, tertiò euomant, denuò supplicium sine adiumento ferentes. Nam chronicos plerunque morbos incidunt. De hoc beluino vomitu inter nos mentio non fit, eius tantum qui parum lapsis subuenit, recordamur. PO. Sed quibusdam insolẽs est vomitus & vomere nesciunt. TH. Collum scilicet gracile habentibus, strictum pectus, altas scapulas, tortuosa crura, & pinguibus. Quibus melius est abstinuisse, & gracilibus siue macris demandasse, vt post aluum facilem, cibis omnigenis & in substantia & odore diuersis, se repleant, æstate magis quàm hyeme, iuxta Hippocratis asserta, & oculis pilo contra fumos ligatis, decenter euomant. Si tamen hoc modo non cadat hæc alea, mulsum superbibant simplex, aut mulsum cum

Quarta primi caput II.

Libro de isomniis.

Vomitus ex crapula beluinus.

Quibus vomitus obsit & quibus prosit.

Modus euomendi facilis.

hyssopo,

hyssopo, vel radicula, seu alio incisiuo, coctum. Si neque sic, stomachi robur cum tepida oleo intermixto, infringant, atque helleborum, azarum, & & similia dimittant, quæ stomachum vellicant. Sicut quandoque ex leuioribus etiam contingit, vbi lanam oleo camomillino vuidam superponimus ventri calidam, vt dolorem proscribat. Diligenter tamen curandum est, vt facie aqua rosarum irrorata, post vomitum parcè de cibis facile digerendis degustent, quoad stomachus debilitatus iterum in viã redeat. Et ne multum frequentent vomitum, qui pectus & pulmonem lædat, surditatem & debilem visum generet, dentium dolores faciat, & chronicos in capite inferat morbos. P O. Quomodo autem si quis ventris solutionem pluris fecerit? Nam quidam vomitum abhorrent, errat talis? T H. Non, si fiat sicut Hippocrates scripsit, vt scilicet, in quibus conueniat consideremus, & qualia oportet euacuemus, secundum exigentiam temporis, regionis, complexionis, ætatis, sexus, artificii, consuetudinis & virtutis. P O. Sunt tam varia in solutione vẽtris consideranda? T H E. Imò plura, quædam enim annectuntur præfatis. P O. At nostrates medici istis omnibus neglectis,

Si ex vomitu ventris dolor, quid agẽgum.

Vomitus superflui nocumenta.

Primo Aphoris. & quarto.

Vẽtris solutio bona si ritè fiat.

vnà in omnes & quouis tempore vtuntur medicina. T H. *Non medici sunt, sed pyratæ aut carnifices.* Circumforaneos *enim intelligis, ambubaias, præstigiatores,* Alcinoi *nebulones, procos, schœnobitas, quos vel omnes vnico ictu patibularios, aut malas aues, ex malo ouo progenitas recte dixeris: dum mera qua florent impostura ægrotis sic imponunt, vt meZereon, helleborum, cucurbitam quam fel terræ vocant, eZulam, & nucem bethel, pro rheubarbarico, manna, caßia, seu quauis alia salubri medicina, in magna dosi, cum sumentis magno dispendio exhibent.* Contra Coi *senis mandatum, deiectiones secundum multitudinem æstimantes.* P O. *Habemus qui sine omni medicina morbis medentur.* T H. *Sed preculis nimirum.* P O. *Maximè. Nam matrona quædam in vicino pago moratur, seu vetula, quæ omnes, vel exoticos etiam superat medicos, dum cribro vtitur, ex silice, cereo, aut fabis sortem faciens, & Sibyllæ cuiusdam instar ex tripode de sanctis loquitur vindicibus.* T H. *Quos sanctos vindices arbitraris? Nónne rerum conditor, inquit, mea est vltio & ego retribuam.* Dic Polyloge, *habet maritum?* P O. *Non, sed carnificem habuit omnifariàm rerum veneficarum peritum.*

Notantur circunforanei medici.

Hortatur quædam anus merdica.

Deute. 32.
Rom. 12.
Hebr. 10.

tum. TH. Habet aliquas in suo sodalitio? PO. Sex aut septem vt annosas, ita etiam deformes. TH. Et ipsa deformis? PO. Medusam videas deposita vitta: capite enim partim caluo est, & crinibus partim albissimis & incomptis intertexto, ore retorto & lacero, ac etiam virulenter garrulo, naso multum prominulo, maxillis venatici canis ritu pendētibus, toruè vidētibus oculis, sed emißititiis, & corporis mole quercū fastuosam adæquante. TH. Fœtido anhelitu fortaßis? POL. Barbato hirco deterius. TH. Audi mi Polyloge, non est matrona, ipsam enim noui, sed diaboli matertera, ex Thessalia Iasonis vxor: cui, mihi crede, parum est trans Rhenum equitare in arundine longa, euolare caminum, in aere piscari, & lac emulgere ex hirco gallinaceum. PO. Ergo veneficam arbitraris? TH. Non, sed triueneficam, quam nisi Lemnius Vulcanus ritè tractauerit, nihil rectè fiet. PO. Rectè igitur panegyrim hanc cantabis illi:

Est quædam deformis anus matertera diri
Plutonis, linguax, perfidiosa, bibax,
Liuida, detractrix, mordax, quæ dente canino
Oréque vipereo nigra venena vomit,

Proprietates deformosissimæ mulieris.

Lurida quæ callet trans Rhenum equitare bacillo,
Garrula quæ fratres dissociare nouit:
Nasum falcatum tenet, & quæ lumina glauca
Vultu quæ pallet, nigráque labra tenet:
Claudicat, & lippa est, surda est, quæ capite caluo
Gutturis & longi, ciconióque pede,
Quæ ceu cristatus retinet calcaria gallus,
Vngues & longos quæ tenet in digitis,
Quæq; coaxantes imitatur vetula ranas
Dum cantat raucam sordidulámque capram.

TH. *Cantat aliquando?* PO. *Frequenter, maximè tamen si ebria sit, & prædam habuerit, tũc enim monochordio accipitrinos incrispat digitos, & cantillat, vel caprisat potius.* TH. *Hæc nihil ad rem: perge hanc laudare.* PO *Attende:*

Hæc, qua parte quidem crinis muliebria laudat
Hæc glabra est, satili caluior atque rapa,
Equi spumantis ritu tenet vuida labra
Stiria de naso pendet & alba suo:
Dúmque caput cingit vitta, vix noctua toruè
Sic videt, monstrum dicere ritè potes:

Pastillos frequenter olet, sed sæpius hircum
Sub alis fœtens, oréque vipereo:
In mensa muta est, in lecto garrula vibrat,
Et lacerat verbis, verberibúsque suos:
Conuiuio si comparet, nec vescitur illa:
Cùm vides solam, singula sola vorat:
Tristatur si læta quidem vel candida narrant
Congaudet velox, tristia siq; ferant.
Annuus & labor est quod thermas visitet omnes,
Quis pulchram curat reddere stulta cutem:
Nam coruum melius poteris mundasse rapacem
Album, tam nigra est hæc Polycarma bibax,
Mane ructus edens olidos, sed nocte sonantes
Ventriculi bombos, meridiéque vomit:
Pharmaca promittit, sed toxica dira ministrat
Fallax, seu virus merdica lætiferum:
Hanc igitur natura potens, si vestiat omnem,
Iudice me certè, Græcula Thais erit.

TH. Affabrè hanc suo delineasti peniculo chimeram, si vera sunt quæ prius dixeras.

PO. Haberem plura non minus vera. Siquidem vt plebeis affatim imponat, & lucretur, vrinæ selectißimã se gloriatur examinatricem, & talem vt quæ artis medicæ doctißimi viri nõ possunt, ipsa queat. Nanque si huic iuuenculæ mulieris lotium attuleris, In vtero habet, inquit: sexum concepti ostendens. Si vetulæ per accidens locos frigidos narrat, & humido non naturali impeditos, non obticẽs quot puerorum sit mater ex quolibet viro. TH. Magna profectò hæc sunt, sed ex cribro fortaßis collecta, aut Medeæ risco. PO. Procul dio, ast sartorem quendam medicum vidi in pago, qui ex panni resegmine phlegmagogum cõcinnabat, arte tamen: nam dietim penso sartorio absoluto, in vetulo libro à matre sua, quæ etiã merdica fuit, nacto, vel ad Cleantis lucernam per dies nunc tres continuos studuit. TH. Magni fortaßis hunc librum facit, qui incredibili metamorphosi ex sarcinatore doctorẽ, seu coctorem potius crearit. PO. Magni nimirum, & meritò: paßim enim per singulas finales inuenies clausulas, negocium probatũ esse & verum. TH. Et quanti hominem faciunt libri tam preciosi possessorem? PO. Maximi: nam vt Homerica phrasi vtar,

De sartore merdico.

Maxima

Maxima nam paruo regnat in corpore virtus. T H. Lotii nullam habet rationem? P O. Habet, dum enim ex capra quam nutrit, ſemel in occiduo vrinam colligit, futuram ex ea tempeſtatem agricolis, dictu mirabile, ſed verum, facilè indicat. Etenim ſi citrinum ſit & ſubtile, cum bona hypoſtaſi, aerem annunciat ſerenum & arandi habilem. Si alba & ſpiſſa, quam crudam dicimus, abſque ſedimine, pluuioſum turbulentúmque lyrandum minus proficuum. T H. Hunc digito monſtrandum duxerim. Nam in arte profundum iudico, qui artis acumine Hippocratem & Galenum longè latéque vincat. P O. Et ego quidem idem arbitror. Tamen ne illa Orci mancipia nos ſeducant à tramite, rogo ne graueris enarrare qualiter ſecundum exigētiam temporis debeamus vti medicina ſolutiua. T H. Id princeps Auicenna breuibus oſtendit, dicens: Et ſcito quòd tempus quo ſumenda eſt medicina, non eſt tempus vehementer calidum, nec vehementer frigidum. Duas anni partes eligendas innuens, ver ſcilicet & autumnum. Tamen vtroque admonendi ſunt tempore medicinas guſtare volentes ſolutiuas, vt quãtum poſſunt à laborioſis abſtineant pharmacis, ſed leuibus vtantur, &

Quarta primi capite 5.

Tēpus euacuationi habile.

pro humorum educendorum qualitate benedictis, quæ virtutem & principalia mēbra non solum non debilitent, sed potenter fortificent, sicut aloe est, species omnes myrobalanorum, rheubarbaricum, caßia extracta, manna, thamarindi, & alia huius generis multa. Iam absolui pensum? PO. Huius quæsiti absoluisti. At superest quomodo secundum regionis exigentiam. TH. Ne regio austrina sit vel Borealis, quod altera ob vehementem calorem, altera ob densißimum frigus solutionem respuat: sed intermedia sit, calida nonnihil & humida. Quemadmodum complexione quoque calidos & humidos, cæteris meliores purgandum æstimant. PO. Sed ætatis quæ consideratio obrepit? TH. Ne eos qui instam augmenti perfectionem nondum adsequuti sunt, solutiuis euacuemus: vel etiam senes, quibus intestina sunt debilia, & modicam virtutis habent consistentiam, quam Princeps dextro oculo contemplādam monet. PO. Ex iam dictis Theophraste, sexus quoque rationem habēdam intelligo. TH. Proculdubio: aliud enim euacuando requirit pharmacon sexus fœmineus, aliud virilis: sicut in artificiis quoque deprehendimus diuersitatem, vbi piscatorem à carbonario,

Qua medicina benedicta.

Cōsiderāda regio euacuando.

Consideranda cōplexio.

Aetas considerāda.
4. fen. pri mi.

Sexus habenda ratio & artificii.

&

& molitorem à vitriario, si euacuandi sint, tam distare videmus quàm rosam ab anemonis. PO. Complures nulla vsos medicina videas solutiua, sed phlebotomia. Et tamen optimam diu conseruasse sanitatem. TH. Isti fortaßis intentiones aut fines phlebotomiæ ab Auicenna numeratos, rimatius considerauerunt, quàm nostrates polentarii rustici: qui cùm iam primum ex taberna vinaria ebrietatem ructantes exeant, statim neglecta omnium rerum indagine, pro duarum vel trium venarum laborãt incisione. Vbi sericæ instar tantum dilapidant sanguinis, vt quidam statim moriantur, quidã in posterum exhalent animam, nonnulli chronicos sibi redimant morbos complures etiam corporis deterrimum habitum. Taceã bestialem quo vtuntur ciborum delectum. Aliqui enim, licet complexionis sint calidæ iam phlebotomati, allium atque bulbos in deliciis habent. Non considerantes hoc sanguinẽ incinerare, illud verò succum creare viscosum, crassum, & bonæ naturæ diuersum. Alii Raphano gaudent & pastinaca: raphanum dicentes & se & alios digerere cibos, quum oppositum eueniat. Et pastinacam Venerem excitare & vtilem, ac si iam phlebotomato vtile sit hæc turpißima tabe,

Auicen. quarta primi ca. 20.

Bestialis ciborũ delectus rusticorum.

Allium.

Bulbi.

Raphanus.

be, quam Hippocrates breuem epilepsiam vocat, coitum intelligens, grauari. Videas complures, etiam quibus tunc crambe herba frigida & sicca, aliquibus brasica alba dicta, eo tempore placet. Ac si studiose vel data opera sanguinem impurum lepræq; vicinum supplantare studeant. POL. Est tanti periculi sanguinis effusio? TH. Citra dubium, si tam sinistrè deperdatur. Nam spirituum minera est sanguis, carniũ & vniuersi corporis pabulum, atque preciosissimus vitæ thesaurus. POL. Cur igitur non subscribitur opinioni Chrysippi Gnidii quem αἱμόφορον, id est sanguifugum dixerũt, quod omnem venæ incisionem, ex omni medicinalium præsidiorum munere tollendã censeret. TH. Quia si ritè phlebotomia fiat, non solum in sanitatis conseruatione, sed etiam ægritudinum curatione nouimus maximè necessariam: sicut & Rases diuisionum libro scribit, in qua re ipsa natura se frequenter prodit, quæ dum sanguine grauata, nisi minutione succurratur, se vel per fluxum sanguinis narium exonerat, vel hæmorrhoidarũ fluorem aut per sputum cruẽtosum, seu vrinam sanguine mixtam. PO. Quamobrem autem (sicut Hali scribit) primus phlebotomiæ inuentor, oculis velatis

Brasica alba.

Sanguis spirituum minera.

Chrysippus sanguifugus nominatur.

Phlebotomia necessaria

Rha. 7.

tis capitis mulctam dedit? THE. Quod ea arte sit abusus. Etenim posthabita rerum omnium præfatarum indagine, hoc est, regionis, complexionis, ætatis, & aliarum phlebotomiam celebrauit vulgari modo. POL. Id quoque ab aliis etiam doctissimis impune factum legimus. Auẽsoar enim puero trium annorum sanguinem detraxit, immemor infra quatuordecim annos existentes bifariàm non phlebotomandos, Galeno assertore, vel quòd resolutioni sint parati propter calorem extraneum, vel quod duplici nutrimento indigeant, quia frequens in illis contingit augmentum. THE. Id non moueat nos Polyloge, tanta in eo fuit æstimatiua, vt errasse non potuerit. POL. Septuagenario venam quoque incisam aliquando vidi, Auicennæ decreto dissuadente, quod mali sanguinis redundantiam possideant senes, & boni defectum, qui facilè per incisionem effluat, dũ interim malus remaneat. TH. Affectioni quandoque inhærẽdum Galenus monet, & phlebotomandos senes censet, si vasa plena habeant & lata, viresque robustas. Sed citra affectionem, omnes dissuadent medici: distinctim tamen Rases, qui cephalicam sexagenariis prohibet, quinquagenariis nigram,

Phleboto. inuentor capitis mulctam luit.

Auensoar venã incidit filio triũ annorum, vt Auerrois scribit.

Gale. lib. 11. de reg. sanit.

Quarta primi ca. 20.

Senes nõ phlebotomandi.

In lib. de curat. per phlebotomiam.

Apho.lib. 6. gram, septuagenariis basilicam. POL. Est autem senibus tantum, adeò solers phlebotomiæ habendum examen? TH. Non, qui enim à chronicis modò surrexerunt morbis, aut qui stupham exiuerunt iam primum, seu paulò antè delectati sunt Venere, aut longam inediam perpeßi, vel cor vẽtriculi habentes debile, ac crudos obtinentes humores & viscosos pari modo incisioni parcant aut prudentißimè incidant, ne vitæ periculum effuso sanguine, redimant. Actu intemperantes, vinosos, ventri, gulæque deditos, neque purgatione, neq; sanguinis eductione iuuari, Galenus credit: quod per vitæ intemperantiam crudorum humorum ocyßimè recolligant copiã, illisque propterea æquè abstinendum docet, etiamsi conueniẽtißimo tempore minuere statuerint. POL. Quid? non omne tempus in anno phlebotomiæ conueniens est? TH. Non. Ver enim quod æqualem habeat temperaturam, & sanguini sit proportionatum, conuenientissimum arbitrantur incisionis tempus. Autumnum quasi parem, quod temperamento ferè sit vicinus. Sed æstatem planè non idoneam, quod tunc humores sint calefacti, & in nimio motu, vnde diaphoresis facilè oboriatur. Similiter & hyemẽ, quòd frigus eo tempore

Qui non phlebotomandi.

Lib. de curat. per phlebot.

Veris tẽpore incidendum.

Auicen. 2. pri. doct. 2. ca. 6. & 4. pri. ca. 20. Auerther. 2. tract. 3. cap. 1.

tempore sanguinem condenset, & immobilẽ reddat. Circa quæ animalis circuli quoque consideratio præstò sit, vt qui albæ pituitæ habent redundantiam, cholerica sibi eligant signa, Arietem quippe, Leonem, & Sagittarium. Atrobilarii sanguinea, Geminos, Libram & Aquarium. Cholerici flegmatica Cancrum, Scorpionem & Pisces. Circulus Zodiacus phlebot. obseruan.

Accedente etiamnum quadrarum lunaris cursus obseruantia, vt enim solaris annus in quatuor diuisus est partes, sic Lunaris quoq; secatur, & partes quadras dicimus. Quadrarum lunæ habenda ratio.

In prima enim quæ calida est & humida, Ptolemeo teste, viginti quinque seu triginta annorum adolescentes phlebotoment, in secunda calida & sicca iuuenes annorum trigintaquinque vel quadraginta, in tertia frigida & sicca, senes quinquaginta annos habentes, in quarta frigida & humida capulares, si affectus iubeat. Semper tamen memores paranætici, quod Manfredus habet, hoc est, ne tangamus membrum ferro luna existente in signo illius membri. P O. Statuit vicini mei coniunx sanguinem minuere hoc die, sed quantum audio commonenda est, quum frigus sit. T H. Tamen est prægnans. P O L. Imò partui vicina. T H. Institutum igitur mutet, ne facti pœniteat. Hier. Mãfredus in Centiloquio.

5. aph. 31. Hippocratem enim sic scribere memini: Mulier in vtero habens, phlebotomata abortum facit, sed magis cuius maior est fœtus. Quamuis non quamlibet abortire contingat, sed eam saltem cuius effusio multũ excedit. PO. Ego venæ incisionem tanquam primũ sanitatis conseruandæ sic laudo præsidium, vt planè abstineam. TH Fortaßis non assuetus es. PO. Non. TH Quantum ergo potes, abstine. Nam senes non assueti lipothymiam, si minuti sint, incurrunt. PO. Si quis autem senũ assueuerit, continuabit? TH. Non, sed lento (quod aiunt) gradu, desistat, vt si iuuenis quater ãnuatim inciderit, quadraginta effectus annuorum, ter incidat. Si annorũ quinquaginta vel sexaginta semel. Licet melius ducãt autores tũc ab incisione planè abstinuisse, & ventosas quas græci σικύας vocant applicasse, quæ si debita hora, & considerata intentione apponantur, phlebotomiam supplent. POL. Quam autem horam arbitraris debitam ventosandi? THEOPH. Electã, hoc est horam, qua luna in orbem est circunacta, vel multũ luminis habet, prima digestione vel etiam secunda completa, quod eo tempore humores spargantur ad circunferentiam corporis, & ad membra extra venas.

In vtero habentes abstineãt à minut. san.

Cõsuetudo obseruãda phlebotom.

De scarificatione seu vẽtosatione.

Vẽtosandi hora electa.

PO.

PO. Est etiam alia ventosandi hora, quàm electa? TH. Est, quam quam coactam veteres dixêre, quòd determinatũ tempus non habeat, sed pro necessitate occurrente, semper admittatur. PO. In quem autem finem vtuntur ventosatione, seu scarificatione? TH. Ne morbos incidant, aut propellant, secundum enim varium loci situm, varios ablegant morbos, id quod mediastinis compertum est. Sanguineo etenim biliosóve dolori capitis cucurbitulæ multum conferunt occipiti cum scarificatione appositæ. Et ad cubitos vel manuũ rascetas exteriores, aut sub mento, pustulis ruborísque faciei, quem guttam rosaceam vocant, medentur. Supra renes aut anchas basilicã supplẽt. Cruribus appositæ, in cruribus venas. Sed thoraci vel scapulis adhibitæ rheumatisantes chronicè, restituunt oculos, morsibúsq; venenosorũ animalium impositæ, venenum extrahunt. PO. Ast scarificatione omni neglecta, sæpe appositas notaui σικύας. TH. Recte. Nam dextræ naris sanguineus fluor cucurbitula absque incisione dextro iũcta hypochõdrio, subleuatur, sinistróque sinistræ: sub mamillis autem, muliebres menses impedit applicatio, nimium fluentes, & cruribus vel suris addita nimium impeditos euocat: capitis

Quæ hora coacta ventositate dicatur.

Vẽtosatio absq; scarificatione ad quæ vtilis.

pitis proræ affixæ vuulam elongatam abbreuiant, rheumatáque siccant ventosæ, & paralyticis sunt proficuæ, si ad nucham posueris: nam calefaciũt neruos, cholicámque & vomitum cum singultu compescunt sedi affectæ adhibitæ. Vbi pari sorte hirudinum aut sanguisugarum operatur appositio, nisi quòd ex longinquo magis & fortior per eas fit attractio. PO. Complura nunc dixisti inanitionis genera, nihil autem de coitu dices? quem Constantinus vir grauis, sanitatis custodiendæ fomitem vnum esse scribit. TH. Si vis, lubens addã quæ sparsim ex autoribus aliquando congessi. Nam bifariàm de hac re confabulari delector, primò quòd coitus ex solerti industria qua floret prudens natura, sed conseruationem indiuidui sic excogitatus est, vt animal quodcunque, maximè tamen homo, cùm voluptatis causa, tum spe prolis futuræ in vsum illius alliciatur. Secundo quod inanitioni & repletioni quintæ rei non naturali, de qua nunc plura diximus, subsit coitus. PO. Volo Theophraste, enixéque rogo ne quid obticeas. TH. Scito igitur coitum sanitatis custodiendæ Galeno assertore, fomitem esse præcipuũ, si non frequens nimiũ sit, aut non vltra debitum tempus omissus.

Appositio sanguisugarum ad quæ.

Coitus sanitatis cõseruandæ fomes.

Vtrum

Vtrum enim horum fiat, lædit. Nam si spermatis, quod est de meliori substantia totius corporis, nimium coeundo effundatur, fundamenta principalium membrorum quæ hac bona superfluitate nutriuntur (vt nutrimento suo priuata) corruunt, senectutémque aut mortem accelerant. Cui ferè Hippocrates consentit opinioni, qui coitum, leuem epilepsiam dixit. Si autem rarò nimium talis contingat effusio, & sperma in vasis vltra tempus repletionem efficiat, nisi pollutiones accedant, tetanum in inguinibus facit, testes in tumorem eleuat, febres inducit, cerebrum oblædit, calorem naturalem strangulat, & vniuersum corpus grauat: propter quod rectè dixisse Celsum arbitror, dum coitum neque nimis concupiscendum, neque nimis pertimescendum monet. Quod & carmine quidam sic protulit:

Nocumenta ex nimio coitu.

Lib. de aere & aqua.

Quæ incommoda si rarò nimium sit coitus.

> Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra,
> Sed vitam faciunt balnea, vina, Venus.

PO. Si autem coitu quis debito numero vtatur, quod neque frequens, neque rarus nimium contingat, dic quid emolumenti hinc

emergat. TH. Si recta dispositione decubitus eueniat, hoc est, mulier quæ in se ipsa gignit, supina, vir autem qui in alia, vt philosophus, inquit, in faciem pronus (stans enim podagram generat) & non cùm iam menstruante coeat, vnde raucedo & lepra sæpius aut cancer, ob infecti anhelitus aspirationem accidunt, magnum inde venit emolimentum, quippe vt corpus superfluo isto seminis humore exoneretur, & virtus naturalis vegetior ad exercendum vires suas, fiat, maximè in corporibus fortibus, iuuenibus, ac ad coitum assuetis, morbósq; à phlegmate seu pituita futuros præuideat, animam hilarem reddat, sollicitudinem remoueat, melancholiam sequestret, amentes in sui notitiam redigat, furorem & iram mitiget, malum (sicut Rufus ait) corporis habitum proscindat, somnum faciliorem inducat, sensus hebetes acuat, appetitum excitet: & ne stellas numerare videar, tribus verbis pensum absoluam, vt corpori & menti robur & refocillationem tribuat. POL. At non est aliqua singularis vel potius electa coeundi hora? TH. Est certè, sicut ex Celsi deprehendes verbis quando inquit, Coitus interdiu factus, peior

Quæ vtilitates ex coitu moderato.

Quæ hora electa coitus.

ior est: noctu, tutior. POL. Et sic nocturnum commendat Celsus? TH. Commendat, primis duabus peractis digestionibus, & ad principium noctis, quod talem somnus sequatur prolixior, qui spiritus deperditos (exit enim cum semine spiritus vitalis per arterias) reparet. Saltem ne praecesserit ira vehemens, gaudium exuberans, tristitia, fames, balneum, fortis euacuatio, immoderatum exercitium, & maxima vini repletio: quae omnia si negligantur, corpus ab ea qua est consistentia abducunt, potissimum tamen vini repletio. Quod vel inde patet, dum ebrii semper ferè semen profundunt impotens generandi sibi simile, vt philosophus scribit. Et vxores ebriorum generatim morbis chronicis maximè afficiuntur. Quanquam & anni partes considerandae: nam Celsus hyeme Venerem non aequè perniciosam scribit, vere tutissimam, ac neque aestate neque autumno vtilem. PO. Si quis autem vel quia renes nimium habeat calentes, vel genitalia calorifica vi aestuantia, hoc tempore nequeat abstinere? TH. Huic laminam ad renes plumbeã vndiq; perforatam autores medici iubent applicari, aut renes cum rhodolaeo seu oleo

Quae coitum prohibent.

Arist. 3. sectione, proble. 4.

Quibus mediis venus sit domanda.

omphacino & succo semperuiuæ inungi, prius ruta commanducata, vel etiam ruta sub stratum posita. Sic enim refrænandam censent Venerem. Aliquando etiam in vsum gemmas commendant. Nam saphirum & smaragdum, vel etiam topasium, à virtute quadam cœlesti seu occulta (quod aiunt) proprietate, seminis feruorem arbitrantur mutilare. PO. Mihi neque plumbum, neque gemmas applicandas noui, siquidem matrimonii appendices, quæ domus sunt grauamina, non solum hinnitus, sed & omne iubar sic mihi proscindunt, vt si vel minutulum titillationis aliquando obrepat, statim cristas supprimam atque omnem concupiscentiæ feruorem tepidum abiiciam. TH. Quæ sunt ista grauamina domus? & matrimonii appendices? Ego singula quæ inter coniugatos accidunt delicias credidi. PO. Dulce bellum inexpertis. Si enim ad lancem rem duxeris, plus aloes quàm mellis inuenies, quum frequens sollicitudo nunquam non adsit matrimonio, præsentium atque futurorum: anxietas item rerum acquirendarum certè molesta, pro acquisitarum custodia timor vehemens, tædium crepundiarum, puero-

Matrimonii appēdices.

rum

rum vagitus, rixæ, cunarum pedor, rerum
inopia, varii sumptus, variique supellecti-
liū defectus. Taceā vxoris miraculosas pre-
cationes, dū noctésq; diésq; ad rauim quasi,
Da quæsumus, inquit: Præsta quæsumus: Vxorum
cōcede quæsumus. Age, dandū est marite: si miraculo-
non cucurbita dixerit, aut fatue. En Cere- sæ preca-
ris languet apud nos copia, Bacchi friget tiones.
liquor, desunt carnes, sal, lac, caseus, buty-
rum, atque focus sine lignis fuliginosus cō-
paret. Et quod est maximum, à mechani-
cis disturbari, qui facta pace cum vxore,
pro foribus stant, & noua resuscitant bel-
la, petunt, efflagitant, rogant, nonnun-
quam etiam expostulant, imperant & ius
minantur, sicut indies per cerdones expe-
rior, artocopos, fabros, fullones, sartores, pis-
catores, balneatores, redemptores, carbo-
narios, figulos, villicos, gerulos, saltuarios,
atque mille huius sentinæ homines, quibus
nisi statim pro voto offeram, confestim sub
hasta venditionem memorant, atque exi-
lium. Videntur isthæc tibi deliciæ? TH.
Non certè, sed cruciatus atque ipsissima
crux. Tu verò quid ad illa respondes? Irasci, ti-
PO. Obmutesco aliquando, irascor nono mere sex-
nunquam, timidus sæpe, curiosúsque disce- ta res nō

 do. naturalis.

do. THEO. *Animi ergo nunquam es ingenui, sed perpetuò tormentati. Nam irasci, timere, curare, animi paßiones atque tormina medicis dicuntur. Et sunt vltima res harum, quas ab initio tractauimus, non naturalium.* POL. *Faciunt autem quid pro sanitate tuenda?* THE. *Multum, si decenter ad illas quis se disponat.* POLYL. *De his igitur quædam deprome, vt pensum abundè nostro negotio dedisse videâre.* THEO. *A prandio id tractandum videtur, nunc in patinis animus est. Vale igitur.*

POL. *Aequè esurio ac tu, vale.*

ARGVMENTVM
ſeptimi dialogi.

Sextam rem non naturalem, animi quidem paßiones pro ſanitate conſiderandam.

THEOPHRAST. POLYL.

HEus Polyloge. POL. Quiduis Theophraſte? THEO. Vt iuxta promiſſum ſextam rem, eam quas hactenus recenſui, percipias. Nolo enim mea promiſſa, Charetis Athenienſis pollicitationes (ſicut prouerbio dicitur) ritè vocari Quàm enim turpe ſit ſplẽdidis fouere promißis, atque ſpe vana, hiſtrionis ritu lactare amicum, Pomponius iure-conſultus edocet. Dum re, non verbis, pollicita attentanda admonet. POL. Rectè profectò, rectè: ſed rem aggredere. Nam etiam celeritas in deſiderio mora eſt, ſi Mimo credimus. TH. Tamen feſtino. PO Lentè. TH. Sic à Cæſare Auguſto præmonitus. Attẽde. Res ſexta nõ naturalis animæ accidentia Dictũ iureceſulti.

dentia

dentia ſunt, Græcis πάθη, id eſt, affectiones dictæ, cuiuſmodi ſunt gaudium, ira, terror, timor, triſtitia, inuidia, odiũ, furor, iracundia, & plura iſtis ſimilia. P O. Cur iſthæc noſtro inſeruntur negocio? T H E O. Quia ſanitatem, cuius hactenus mentionem fecimus, quemadmodum aliæ non naturales res vel deſtruunt vel conſeruant. P O L. Quando deſtruunt? T H E O. Quum corpori aliter quàm deceat, earum applicatur vſus, ſicut tu me rectius vel ex hiſtoriis, nouiſti. Habes enim ex Valerio Maximo propter gaudium ſubitò illatum, duas, derepentè exſpiraſſe mulieres. Et apud Hali quinto Theorices, vltimo capite, Hameſſum pari ſorte dediſſe animam. Sic quoque ex aliis autoribus, quoſdam ira impetuoſe afflatos, apoplexiam incidiſſe, confeſtimque exhalaſſe. Quoſdam item paralypſi læſos & ſpaſmo. Nonnullos quoque febrium exhauſtos tyrannide, contabuiſſe: ſicut Galenus in libro de morborum cauſis, dilucidè commonſtrat. Quid terror inſperatus, timórque ſanis inferant, diſcere lubens prætereo, dum euentus id frequens declaret: multos enim epilepticos inde fieri notamus, aut ſyncopem incurrere. Anguſtiam

Duæ mulieres propter gaudiũ perierunt.

Gale. de ſympto. cauſis, lib. 2.

Quid ex terrore inſperato.

ſtiam non numero, quæ cùm naturalem calorem ad interiora proſcribit, febres ephemeras facit, quibus nimium durantibus aucto calore, ſolida quoque læduntur, & hectica innaſcitur, ac denuò mors. Singula iſthæc Galenus ad lancem duxit, primo libro de Regimine ſanitatis, vbi ſic inquit: Oportet, ſanitatem cuſtodire volentem, curare, ne mores animi corrumpantur. Etenim furor qui eſt maniaca confidentia, vt Galenus ait, fletus, triſtitia, ſollicitudo, ira, & inuidia amplior quàm oportet, virtutem diſſoluunt, & febrium ac aliarum ægritudinum ſunt principia. Nam bonam interrumpunt, ait Auicenna, digeſtionem: vnde omnium facilè oboritur morborum ſentina. POL. *Sed quia ſanitatem illas animi affectiones quoque conſeruare dixiſti, dic quando id contingat Theophraſte.* THEO. *Quando moderatus illorum corpori applicatur habitus, ſicut Raſes pulchre declarat. Dicit enim, Quodcunque animam gaudere facit, moderatè intelligit, atque lætari, robur viribus tribuit, naturam excitat, & in ſuis adiuuat actionibus, omnibúſque ſanis confert. Niſi his qui carnis minoratione, eo quòd ſuperflua ſit, indigent?*

Quid ex nimiâ an-guſtia.

2. Techni.

Furor quid.

4. ad Alm. cap. 9.

Obœsis tristari conducit. gent: illis enim tristari magis conuenit, iram quoque multis cachexia laborantibus profuisse per Alexandrum Benedictum rei medicæ virum eminentißimum, nouimus.

Ira quando prosit. Etsi Constantini Africani rimatius quis perlegat scripta, eandem frigidæ complexioni & timidis hac ratione, qua lætitiam sollicitis, tristibus & coangustatis subuenire, percipiet.

Pract. li. 15. ca. 22.

Lib. com. locorum medi. 3. cap. 38.

Quamuis & Galenum adducere possem inter omnes principem, qui aliquos longo tempore angustatos & tristes, propter diuitias ex quibus gaudium emergit, fortuitò datas, reualuisse tradit. Sic habes Polyloge quod petebas? POL. Habeo. Nam vt rem vniuersim dicam, negocium sic intelligo: horum pathematum quouis tempore moderatum & tempestiuum habendum vsum. THEO. Nihil aberrans rem diuinasti, si enim huius aut alterius excessus fiat lateris peccatur. Et in medio tutißimum iter. At superest quod amplius me velis? rerum non naturalium & premissarum pensum absolui. POL. Superesset. At præmonitus à Plinio, nimietatem euitandam, nunc quærendo desistam: nihil enim perniciosius in omni vita contingere posse fatetur nimio.

Lib. 11. cap. 37.

mio. Vnde mi Theophraste, quod hacte-nus tam frugi & facilis respondendo fue-ris, gratias ago, si per sortem ali-quando contingat, beneficium beneficio compensabo. I nūc pede fausto. Cras for-tassis aliud tra-ctabimus.


Vale.

FINIS.



Ex libris Francisci Gishiere Patroni

PARISIIS,
EXCVDEBAT MAR-
TINVS IVVENIS,
M. D. LV.


8°